
A

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

THERAPIAE GENERALIS.

LIPSIAE ET ALTENBURGI,

SUMTIBUS F. A. BROCKHAUS.

1816.

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICAE.

TOMUS VI.

PARS PRIMA.

THERAPIA GENERALIS.

LIPSIAE ET ALTENBURGI,

SUMTIBUS F. A. BROCKHAUS.

1816.

C O N S P E C T U S.

Pars generalis.

Cap. I. De doctrinae conſilio.

Cap. II. De obſtaculis curationum.

Cap. III. De examine therapeutico.

Cap. IV. De viribus naturae medicatricibus.

Cap. V. De indicationibus generatim.

§. 35. Indicatio quid ſit, a quonam inventa?
36. Indicationes ab hypotheſibus orſae.
37. 38. Simplicitati indicationum ſtudendum.
39. 40. Nec tamen ubique particulares indicationes negligendae.
41. Indicatio cauſſalis, prophylactica, curativa, apotherapeutica.
42. Indicatio vitalis.
43. Indicatio ſymptomatica, ſaepe neceſſaria.
44. Eius praeſtantia.
45. 46. Commoda alia eiusdem.
47. Circumſcriptio dignitatis.

Cap. VI. De indicantibus et contraindicantibus.

48. Definitio.
49. Indicantia generalia et particularia.
50. Utraque iungenda.
51. Unde petenda indicantia.
52. Certitudinis et probabilitatis gradus in iis.
53. Indicantia perfecta et completa.
54. Conditiones indicantium.
55. Indicantium obſcuritas ad experimenta compellit.
56. Contraindicantia.
57. Eorum natura.
58. Quomodo contraindicantibus utendum ſit.
59. Quaenam ſint ſpeciatim.

Cap. VII. De indicatis.

§. 60. Ampliſſimus ambitus.
61. Victus ratio graviſſima eſt.



Inſti-

INSTITUTIONES

THERAPIAE GENERALIS.

PARS GENERALIS.

CAP. I.

DE DOCTRINAE CONSILIO.

1.

Ad ſanitatem perducunt mortales, qui adverſam mutant in ſecundam valetudinem: curare vero dicuntur aegros, qui arte eas in corpore viciſſitudines excitant, quas recurſus in ſanitatem ſequi poſſit. Itaque, licet fortuito ac ulla ſine arte plurimi ſaneſcant aegri, curatio tamen citra artis regulas contingere nequit.

Doctrina autem de regulis curandi *therapeutice* appellatur; naturaliter diducta in duas partes. Siquidem vel univerſa morborum genera comprehendit,

regulasque generales tradit, quibus artifex obtemperaturus eſt; vel formis aegritudinum ſingulis ac ſpeciebus accommodat regulas: illa *therapeutices generalis*, haec *ſpecialis* nomine venit. Quibus accedit *medicina clinica*, quae in ſingulis aegris valetudinem adverſam fugare docet. (*inſtit. med. vol.* 1, *introit.* §. 6.)

2.

Doctrina eſt ſcientiam comprehendens: namque curationum regulas haud membratim tradit, ſed e principiis rationalibus deducit: pariter igitur ſcientiam gignit, ac matheſis applicata, quae architecto aut nautae regulas impertit.

Artificis eſt, dum morbis medetur, regularum conſcium eſſe, easque e principio derivare univerſali. Hac enim ratione diſtinguitur ab agyrta aut inſcio homine, qui, etiamſi ſanat forte homines, rationem tamen actionum ſuarum reddere nequit, quod regulas nequaquam cognoſcit.

3.

Quanquam ubique finem eum ſibi proponere debet medicus, ut legibus huius doctrinae et regulis obediat, nonnunquam tamen, ubi abſtruſum eſt morbi ingenium, aut ubi latent, quae morbum genuerunt; neceſſe eſt confugiat ad ea, quae uſus do-

cuit ac experientia, ſive ſequatur ea, quae iuvant aut nocent, ſive experimenta etiam fortuita inſtituat, ut, quo demum cunque modo id fiat, opem aegro ferat. Accidit id praeprimis in novis morborum generibus, ſive plane ante ignotis, ſive populari ingenio obſequentibus, ubi, Celſo id iam monente, confirmante etiam Sydenhamo, novae ſaepius medendi viae inveniendae ſunt, quas ratio tantum abeſt ut ſemper doceat, ut potius uſu et exercitatione multo ſaepius pateant. Nec indoles, quam aegritudo, utut probe cognita, in corpore individuo accipit, eiusmodi ubique eſt, ut regulas certas fixasque liceat ſtatuere ac conſequi; cum abdita nonnunquam diſpoſitio aut fortuitum aliquid ita mutare poſſint morbum, ut regulas ſuetas appliceri nefas ſit, ſed oporteat experimenta inſtituere. Sic, qui in clariſſimis ſemper Germaniae medicis nominatur, Richterus Göttingenſis, quamvis iure ſuo carpat eos, qui purgantia remedia ſine regulis imperant, ipſe tamen, ſi in febre bilioſa pleni ſunt pulſus et vegeti, ſanguinem mittendum eſſe, praecipit, ut periculum faciamus.

4.

Priusquam ulterius progrediamur, inquirendum eſt, ſemperne curationes locum obtineant. Haudquaquam id ita eſſe patet tum e ſuperflua quandoque curatione, tum quod interdum curatio omnem vim humanam ſuperat.

Non ſuperflua ſolum ſed noxia etiam eſt omnis curatio, ubicunque naturae ope levia incommoda naſcuntur, quae ſponte iterum ſua in priſtinum ſtatum redeunt. Noxia ibi omnis officioſa ſedulitas fit, quia naturae efficaciam turbat ut et peiores ſequelae naſci poſſint. Hippocraticis viris probe iam notum erat, invenire naturam ſibi ipſi vias, nullius magiſtri egentem ac debita ſine praeceptis facientem *); et ſponte ſua revaleſcere homines, niſi quid aliunde male actum fuerit **): et nullo utentes medico aegros ſaepius convaleſcere ***). Superfluas igitur curationes perſtrinxerunt Gid. Harvaeus, (*ars ſanandi cum expectatione. Offenb.* 1730. 8.) . Stahlius, (*diſſ. de autocratia naturae.* Hal. 1696. progr. *περὶ φύσεως ἀπαιδεύτου.* Hal. 1703. *diſſ. de abſtinentia medica* ib. 1709.) Fr. Hoffmannus, (*de naturae et artis efficacia in medendo opp. tom.* 6. *p.* 261: ſ. 1.) Petr. Camper (*de optima agendi vel exſpectandi ratione in diſſ.* 10. *app.*) et Schmidtius (*analecta practica de morbis exſpectationem deſide-*

*) Hipp. epid. lib. 6. ſ. 5. p. 1184. Ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑωϋτῇ τὰς ἐφόδους, ἀπάιδευτος ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει.

**) Hipp. nat. hum. p. 224. Ὑγιέες γίνονται αὐτόματοι, ἢν μή τι ἐξ ἄλλου κακουργῆται.

***) Hipp. de arte, p. 4. Ὀυ χρησάμενοι ἰητρῷ νοσέοντες ὑγιάνθησαν.

rantibus. Goett. 1759.) Quodſi in iis adfectibus, quibus natura ipſa medetur, artifex nihil molitur, ſed naturae nutibus obſervatis victus rationem moderatur, multo magis ſaluti aegrorum conſulit, quam nimia activitate; artemque ipſam promovet, quae naturae miniſtra merito habetur.

5.

Dein abſtinendum eſt a curationis conſilio, ſi eae adſunt laeſiones, quae nunquam arte humana penitus curatae fuerunt; ſi deſtructis organis nobilioribus aut viribus omnino peſſumdatis ſpes nulla ſalutis ſupereſt. Quivis enim conatus, incurabiles eos morbos tollendi, in detrimentum aegri aut perniciem etiam vertitur. Veteres iam Hippocratici viri praeceperunt, nequaquam ſuſcipere curationem eorum, qui ad ſummam morbi devenerint, ſcientes, quod talia ars praeſtare nequeat *). Et Celſus: neminem velle, ait, periclitari coniectura ſua in ſplendida perſona, ne occidiſſe, niſi ſervaſſet, videretur. Neque tamen eo minus nunquam deſerendi ſunt eiusmodi aegri, ne a medicis deſperantibus ſemet ad agyrtas convertant, eoque modo arti opprobrium naſcatur. Si hoc prudentiae eſt, humanitas etiam imperat iuvare ac levare moleſtias,

*) Hipp. de arte, p. 5. Μὴ ἐγχειρέειν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων, εἰδότας ὅτι τοῦτα οὐ δύναται ἰητρική.

etiamsi penitus tollere aegritudines in nostra neutiquam potestate situm sit. „Duo, inquiunt Hippo„cratici viri, circa morbos facienda sunt: iuvare „aut non nocere." *) Iam vero iuvat saepe magis, qui blanditur aegri sensibus molestis, ac dolores aliosque adfectus mitigat, quam qui ubique, repugnantibus etiam viribus ipsaque morbi indole, penitus eum tollere studet. Boni tamen et cordati est artificis, si nulla plane spes superest salutis, nec aegrum ne eos, qui adstant, id celare; sed artis impotentiam candide aperire, ne falsa spe decepti crudelitatis denique et imprudentiae medicum arguant.

Neque desunt aegritudines, per se quidem magnopere ancipites et periculosae, quae, etiamsi usitato modo haud curentur, cedunt tamen interdum novae methodo, aut experimentis παραβόλως institutis. Syphilitici morbi, antequam hydrargyri usus; febres pervicaces intermittentes, priusquam corticis peruviani administratio innotescerent, incurabiles putabantur. Angina polyposa, magnopere anceps, nuperis kali sulfurati applicationibus debellata fuit. Itaque verecundiae est, fateri, morbum hunc a me quidem et meae aetatis medicis penitus curari non posse, etiamsi haud inficiar, a posteritate forte

*) Hipp. epid. lib. I. p. 960. Ἀσκέειν περὶ τὰ νουσήματα δύο, ἢ ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν.

meliorem tutioremque inventum iri methodum. Ea autem confeſſio, quamlibet magnopere deceat medicum optimum, a tirone tamen et iuniore medico, famae ſuae conſulente, vix ac ne vix quidem exſpectanda eſt.

6.

Ex iis, quae modo dicta ſunt, liquet, *curationes* eſſe vel *perfectas* vel *imperfectas:* illas verſari in tollendo morbo ipſo cum omnibus effectibus: has vero in amovendis partibus morbi, ſeu effectibus quibusdam, ſuperſtite tamen morbi ipſius eſſentia. Perfecta curatio, quae et *tuta* dicitur, quaque radicitus evellitur malum, ut nullae ſuperſint reliquiae, generatim quidem neceſſaria eſt, cum melior ſit ſecuritas, quam intuta indoles: praeferri quoque debet curatio tuta ac perfecta reliquis omnibus modis, ſi modo artis facultas eam permittit. Laude igitur digniſſimus eſt medicus, qui tutae curationi operam dat, quam qui celeriter gratoque ac iucundo modo aegritudines tollere ſtudet.

Morbi vero inveterati, aut qui partium nobilium deſtructionem adferunt, cum perfecte ac tuto curari nequeant, exigunt tamen curationem imperfectam, ut ea ſolummodo abigantur, quae perniciem ocyus adferre morbumque magis inſanabilem reddere poſſunt. (§. 5.)

7.

Qui perfecte curaturus eſt aegritudines, conſilium curationis totius inire debet, quod, dum morbus ipſe non mutatur, conſtanter ſequatur, nec unquam penitus mutet, quamvis artis praeſidia, conſilio apta, omnino permutare poſſit ſaepeque debeat. Ratio enim ipſa nos cogit atque compellit, ſi rite cognitus eſt morbus, conſilium unum idemque ſequi, neque variis turbari phaenomenis, quae agyrtam aut inſcium hominem ilico inſtinguunt, ut aliam agendi rationem eligat. Haec eſt *ἡ περὶ τὸν νοσέοντα οἰκονομίη*, quam Hippocratici viri commendant: haec eſt *ἡ ὁδὸς καὶ τῶν ὀρθῶς ἐχόντων δοκιμασίη καὶ τῶν μὴ ἐχόντων ἔλεγχος*, ab iis ipſis viris praedicata. „Quam viam omnem medendi qui intelligit, cognoſ„cit ac ſequitur, donec fine potiatur, ſolus is eſt, „qui medendi ſcientiam et artem poſſidet.“ (*Galen. meth. med. lib.* 6. *c.* 1.) Haec eſt conſtantia medici, cui qui ſtudet, ſi omnia ſecundum rationem fecerit, quamvis *κατὰ λόγον* res non ſuccedant, non diſcedet ad alia, ſirma manente principiorum ſententia. (*Hipp. aph.* 2, 52.) Hanc neceſſariam medici perſeverantiam in conſilio curationis ſemel facto, magnopere et uberrime commendavit ſummus Fr. Hoffmannus. (*Opp. tom.* 6. *p.* 278.)

Nec perturbari ſemet medicus ſinat doloribus aut moleſtiis variis, curandi rationem excipientibus.

Quodſi neceſſario ſequuntur, neque morbi vim ſuperant, transire etiam ſolent; vertiginis exemplo et amblyopiae, quae belladonnae uſum ſequitur; gingivarum tumoris ipſiusque ſalivae curſus hydrargyroſin excipientis. Quodſi vero curandi ratio etiam maiores aut diuturniores moleſtias adlatura eſt, quam morbus ipſe; rationalis eſt medici eam penitus reiicere, cum ſecuritas curationis princeps ſit ac primaria indoles.

8.

Ut perfecta curatio inſtituatur, antecedat neceſſe eſt cognitio morbi omniumque eius partium, partis praecipue laeſae, modi, quo laeſa eſt, et cauſſarum, quae nocuerunt. Quibus omnibus rite cognitis, conſilium curationis ita eruitur, ut ad proprium ac ſingularem aegri cuiusvis conditionem applicetur. Namque, ut Galenus (*de optim. ſect.* p. 18.) monet, *ἀδύνατον ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ, μὴ ὅτι πλείοσιν, ἀλλὰ καὶ δύο ἀῤῥώστοις πάντα ὁμοίως συμβῆναι.* Nec in ipſis popularibus morbis perfecta omnium caſuum ſimilitudo obſervatur, ſed peculiaribus cuiusvis aegri conditionibus mutatur morborum forma. Hinc igitur, *μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπερορᾷν*, antiquiſſima eſt Hippocraticorum regula, nunquam negligenda, quae eo potiſſimum valet, ne curationis conſilium praecipitetur, ſed tum demum formetur, cum omnia rite cognita fuerint, quae baſin eius conſtituunt.

9.

Qui perfecte curaturus eſt, aegritudinis exitum probabilem debet praenoſcere, ut ſperato curationis fine potiatur. Imprudentis enim eſt hominis et agyrtae, praeſentia duntaxat incommoda amovere, neque curam eorum habere, quae inſtant, quaeque caveri poſſent, ſi rite cognoſcerentur. Egregie enim Cous ſenex (*Hipp. progn.* p. 36): „Curandi ratio„nem optime molietur, ſi ex affectionibus praeſenti„bus futura praenoverit." *) Et Galenus (*meth. med. lib.* 13. p. 174.): „Quod iam factum eſt, illi „medendum; quod futurum eſt, impediendum." **) Hinc boni medici eſt, haud fidendum ceſſationi moleſtiarum praeſentaneae, ſi ſine bono ſecuritatis ſigno evanuerint. ***)

10.

Celeritas curationis quamvis laudabilis ſit, ubique tamen obſervanda non eſt, cum morbi plures id habeant ſingulare, ut tempora ſua adſiduo ſervent, nunquam mutanda, nec arte, ſine aegri dam-

*) Τὴν θεραπείην ἄριστα ἂν ποιέοιτο προειδὼς τὰ ἐσόμενα τῶν παθημάτων.

**) Τὸ ἤδη γεγονός ἰητέον, τὸ δὲ ἐσόμενον κωλυτέον.

***) Hipp. praedict. 1. p. 77. Τὰ ὀλέθρια ἀσήμως ῥαστωνήσαντα θάνατον σημαίνει.

no, turbanda. Qui enim acutis morbis medetur, quotidie animadvertet, ſtadia cruditatis, coctionis et criſeos nunquam eſſe pervertenda: maxime ſi exanthemata peculiaria cum iis morbis iuncta ſunt. Nec in aliis aegritudinibus taxanda eſt cunctatio rationalis, qua et vires aegroti ſublevare et ſalubrem exitum praeparare valemus. Itaque cavendum et in morborum diuturnorum curatione a tumultuaria medicaminum valentiſſimorum adminiſtratione, priusquam rite cognita fuerit morbi indoles et probabilis exitus. „Sanatio," inquit Cous ſenex, „tempore „fit, ſed magis etiam opportunitate." *) Et Galenus: „Satius eſt, longius impendere tempus curae, „quam celerius progreſſos maſcule occidere." **)

11.

Nec *iucunditas* curationis negligenda eſt, cum humanitas iam praecipiat, minimos, quantum fieri poteſt, dolores mortalibus excitare; prudentia etiam et artis ipſius honos vetent, taedium facere, quo aeger fiduciam amittit. Optime antiquus Hippocraticus auctor *τὰς τῶν καμνόντων χάριτας* commendat,

*) Hipp. de priſc. med. p. 8. *ἄκεσις χρόνῳ, ἐστὶ δὲ ἥνικα καιρῷ.*

**) Meth. med. lib. 12. p. 163. *Ἐν πλέιονι χρόνῳ θεραπεῦσαι βελτίον, ἢ τοὺς σπεύδοντας ἀνδρείως ἀποθανεῖν.*

ut munde tum potus tum cibus parentur, tum etiam, quae videt aut tangit, mollia ſint. Gratificandum eſſe iubet aegroto in iis, quae magnam haud adferant noxam, quaeque facile corrigenda ſint (ἐυανάληπτα). Medicum vero ipſum et habitu cultuque, et ſermone et ingreſſu, gratum eſſe debere aegroto, antiqua erat regula. *) Per totam antiquitatem celebris eſt Aſclepiades Bithynas blanditiis, quibus mulcere ſenſus aegrotorum ſtudebat. Eae quamvis commendandae, poſtponendae tamen ſunt tutae curationi et celeri, ſi una conſiſtere nequeunt. Namque, ſicut antiquus auctor monet, metus impotentiam, audacia autem imperitiam indicat **): itaque nec metus aegrum offendendi, nec ruſtica fiducia unquam medicum ad actiones compellere debent.

*) Hipp. epidem. lib. 6. ſ. 4. p. 1180. Hipp. de decent. ornat.

**) Hipp. lex. p. 2. Δειλίη μὲν ἀδυναμίην σημαίνει, θρασύτης δὲ ἀτεχνίην.

CAP. II.

DE OBSTACULIS CURATIONUM.

12.

Immenſam profecto provinciam ſuscipit, qui ea omnia perſtringere, ne dicam enarrare cupiverit, quae obſtant, quominus curationes inſtitui aut ad finem perduci poſſint. Praeter enim impedimenta, quae natura ipſa, finibus certis humanam prudentiam et poteſtatem continens, efficit, innumera alia poſita ſunt in praeconceptis medici aegrotorumque opinionibus, in peculiari artificis temperamento, in aliis fortuitis rebus, quae humanam effugiunt providentiam poteſtatemque. Ea brevibus decurrere libet, ut artis noſtrae termini pateant.

13.

Primo autem loco publica nominamus impedimenta, quae vel magiſtratuum negligentiae vel popularibus praeiudiciis tribuenda ſunt. Magiſtratuum autem incuria arguenda eſt, ſi agyrtae, quos ἀνακυκλέοντας ἐν ταῖς πόλεσι veteres Hippocratici appellitabant, ſi ſeplaſiarii et barbarum tonſores, ſi rhizotomi et aniculae ipſae aegris mederi audent. Namque e Plinii inde temporibus (*lib.* 29. *ſ.* 8.) dolendum eſt, „in hac artium ſola evenire, ut cuicun„que medicum ſe profeſſo ſtatim credatur, quum ſit

„periculum in nullo mendacio maius. Non tamen „illud intuemur, adeo blanda eſt ſperandi pro ſe „cuique dulcedo. Nulla praeterea lex, quae puniat „inſcitiam: capitale nullum exemplum vindictae. „Diſcunt periculis noſtris, et experimenta per mor-„tes agunt: medicoque tantum hominem occidiſſe „impunitas ſumma eſt.“ In ea autem civitate, quae circulatores tolerat, ars vera contemtui expoſita opem ferre aegrotis rite nequit: populi enim vulgus magis attrahitur a circumforaneis hominibus, ſalutem thraſonica audacia pollicitantibus, quam a verecundo medico, doctrina imbuto, qui fines artis ſuae probe neſcit, ideoque neminem decipere audet. Quodſi igitur, ſecuritati curationis potiſſimum ſtudens, taedium forte aegrotis impatientibus adfert, ad agyrtas confugiunt, qui eo maiorem ſaepe fiduciam vulgi acquirunt, quo ſimpliciora uſuque comprobata remedia adhibent, quae ſalutem ſaepius adferunt. Accedit naturae vis medicatrix, quae nonnunquam obſtacula ipſius perverſae curationis ſuperat, ut huic tandem tribuatur, quod naturae eſt beneficium.

14.

Alia ſunt vulgi praeiudicia, e ruditate, mala educatione, cultus animi defectu et imperitia proficiſcentia, quae magnopere impediunt curandi rationes. Quo pertinent opinatio: Deum humanae vi-

tae

tae terminum ſtatuiſſe, quem non praetereat, ideoque parum vel nihil valere artem, artisque praeſidia. Huc pertinet miraculorum deſiderium, quo adlectum vulgus ei maxime confidit, qui momento citius, pulvere unico, vel paucis guttulis morbum atrociſſimum fugare iactat; qui abſtruſas aegritudinum cauſſas vel e ſola lotii inſpectione diiudicare geſtit; qui velut e tripode de ſalute aut exitio iudicium ferre gloriatur. Multo minus fiduciae vulgus collocat in medico ab iis iactationibus abſtinenti artisque finium bene conſcio. Huc pertinet praeconcepta vulgi opinio, quemvis morbum ſuum exigere remedium, quo, quisquis fuerit aeger, quaecunque demum cauſſae, ſemper debelletur: itaque, quidquid alium iuverit eadem aegritudinis forma laborantem, id et praeſenti aegro adminiculum fore. Taceo errores populares, cuivis fere regioni, ſingulisque nationibus peculiares, quos medicus corrigere nequit, cum magiſtratuum ſit, educationi providere, ac noxia, per paedagogos et praecones ſacros, praeiudicia deſtruere.

15.

Privata dein ſunt aegrorum praeiudicia, variaque ex eorum conditione proficiſcentia obſtacula, quae curationem ſaepe impediunt. Diduci potiſſimum poſſunt in ea, quae animum complectuntur, ac quae in corpore et rebus externis verſantur. Ani-

mi ruditas ſaepe ignorantiam cauſſarum hiſtoriaeque morbi producit, ut neglectae ab aegro opportunitates et potentiae nocentes diu etiam medicum lateant. Nec doloris ſedem ac ingenium peculiare, nec ſenſus anomalos rite aperire verbisque deſcribere poteſt aeger, vel rationis expers, vel animo rudis, vel a ſermonis cultu etiam alienus. Accedit pudor, maxime in feminis, licet et in viris obvius, qui prohibet detegere cauſſas, quae derogare aliquid honeſtati, bonis moribus et fidei videntur. Quoties enim contingit, infectionem celari veneream, occultari hernias, negari vitia turpia, quae morbum tamen produxerunt?

Nec minus gravia ſunt alia animi vitia, quae curationi ſaepius obſtant: impotentia et importunitas, quae diuturnam curationem reſpuit, reiicitque praeſidia, niſi citiſſime moleſtias omnes fugaverint: meticuloſitas et dolorum omnium fuga, qua compulſi aegri curationem abhorrent iniucundam et dolores parientem: animi abiectio mortisque metus, quibus vires corporis, neceſſariae ad ſanationem, infringuntur: victus ratio neglecta cupediarumque amor puerilis.

His adnumeranda ſunt alia, quae morbi ipſius naturam complectuntur, adſtantes etiam et res externas. Morbi indoles pervicax aut complicata, quae curandi conamina omnia eludit; adſtantium

incuria aut negligentia, dum victus rationem negligunt, vel remedia non rite administrant; variae demum res externae, quae morbum pertinacem reddunt; haec omnia curationem saepenumero impediunt.

16.

Iam vero et ignominiam medicorum aut imbecillitatem reticere nequeo, quae curationibus obest. Peccant autem non raro in dignoscendo morbo et iudicio de laesa parte ferendo, unde falli etiam in curationis consilio necesse est. Ii autem errores nascuntur tum e temeritate nimiaque properatione, qua negligunt curiosius aegritudinis examen; tum (quod maxime vulgare est) e scholarum praeiudiciis, quibus intellectus et iudicium obfuscatur, ut veritatem haud videant; tum ex opinationibus, quae fixas radices egerunt, ut libertatem tollant. Huc pertinent commenta scholarum, dominationem adfectantia, quae quamvis animos iuvenum per aliquot annos aut lustra etiam compedibus vinciant, postea tamen oblivioni traduntur. Huc demum referenda est eruditionis noxa; quae, quomodocunque medicum ornet, saepius tamen obstaculo est, quominus rite observet.

Dein curationem impediunt medici, dum vel in selectu medicaminum falluntur, vel nimis fre-

quenter ea mutant, vel male demum componi iubent. Praeter imperitiam pharmacologiae nocet inprimis novorum adminiculorum desiderium. Haec, priusquam studiose ventilata sunt, praepostere adhibita saepe totum curationis consilium pervertunt, ut curationes, quas magneticas vocant scioli homines gloriolam adfectantes; quibus mirum est, quantopere naturae vires pervertantur et motus salubres turbentur. Huc referendum esse puto venenorum abusum, a temerariis medicis commissum, quem cordatissimus Frankius iure suo damnat. (*Syst. der medic. Poliz.* B. 4 p. 448.)

Nec sine noxa graviore est inconstantia medici, quae vel nullum consilium sequitur, vel de die in diem id mutat, variatque simul artis praesidia. Eo valet ea inconstantia, ut naturae vires turbentur, nulla conamina salubria nascantur, adeoque finis curationis haud attingatur.

CAP. III.

DE EXAMINE THERAPEUTICO.

17.

Ut curationis consilium rite formetur, necesse est medendi vias trahamus ab iis rebus, quae morbum

fecerunt vel etiamnum conſtituunt, adeoque mutant, ut peculiari modo in hoc aegro appareat. Cum eo potiſſimum ſine id examen inſtituatur, aliter comparatum eſt ac id, quod aliquis, ſcientiae forte augendae cauſſa, inſtituit. Itaque neceſſe eſt, paullo uberius de eo praecipiamus.

18.

Generatim autem monendum, medicum tum demum veram morbi imaginem concepturum eſſe, ſi, relatione aegri patienter audita, in ea, quae neceſſaria videntur, directa et cum ipſa inſpectione ac inquiſitione comparata, iudicium formare conatur a praeconceptis opinionibus liberum. Exigitur autem patientia in audienda aegri aut adſtantium narratione, cum non raro deflectant a tramite, inepta aut quae idonea ſunt, admiſceant, eoque modo medici iudicium perturbent. Neceſſaria eſt vultus habitusque ea compoſitio, quae percellere aegrum timore nequeat, quam *ἀταρακτοποίησιν* Hippocrates nominare conſuevit; neceſſariae ſunt *χάριτες*, ut aeger fiducia adlectus omnia revelet, quae alioquin facile reticuerit. Oportet medicum loquendi facilitatem (*ἐυεπίην*) cum audiendi facultate iungat, ut aegrum, ubicunque deſilit eius relatio, revocet in tramitem, et quaeſtiones idoneas interponat. Neceſſaria eſt comitas medici et humanitas, quae nec ſpernat nec

negligat aegrotorum querelas, nisi modum nimis excedant.

Magnopere autem interest, nec aegrum quaestionibus nimiis obruere, nec certissimum exspectare iudicium de prima inspectione. Saepiuscule enim diebus sequentibus tandem in id incidimus, quod prima vice latuerat. Gravissimum quoque est monitum, ne medicus aegrum compellat, omnia verbis exprimere, quae vel nutu, vel suspiriis, vel vultu produntur; parcendum est pudicitiae feminarum, parcendum honesti sensui.

Nec abs re esse arbitror, si medicus meminerit, nimis studiosam rerum omnium investigationem nonnunquam potius obesse iudicio, quam ipsam partium inspectionem et pertractationem. Quid enim iuvat interrogatio maxime sedula, si manibus ipsis vel herniam tangere vel ulcera genitalium inspicere oculis potuerit?

19.

Quibus generatim decursis, de ordine iam dicendum est, quo examen institui debet. In eo autem ordine praecipiendo alienus sum a plerisque, qui his regulis memoriae traditis, ordiendum esse suadent vel ab aetate, vel a caussis vel etiam a functionibus laesis. Meo autem arbitrio necesse est, quid queratur aeger, quid doleat, quaenam sint molestiae, primum inquirere. Eo autem valet id

exordium, ut fiduciam aeger in medico collocet, cum is ſummam mali ex ipſo ſciſcitatur, cui ſublevando aut tollendo accerſitus fuit. Qui, protinus ut intrant, aetatem aegrotorum ſcire cupiunt, non feminas ſolas terrent, ſed plurimos alios aegros, ſalutis anxios. Ad primam iſtam quaeſtionem, quid nimirum doleat, aeger, vel, ſi nequit, adſtantes ita reſpondent, ut ſaepe ſedem mali et indolem manifeſtent. Inſiſtendum eſt huic, ut, quantum fieri poteſt, clara fiant omnia et lucida, quae morbi ſedem et ingenium complectuntur.

Dum haec referuntur, vacare debet medicus habitui aegri, vultui, oculis, modo, quo decumbit, obſervandis. Graviſſima eſt haec ſtudioſa inſpectio, ut, quod ſequitur, examen ea illuſtretur et ad finem dirigatur. Ex hac enim habitus, vultus decubitusque obſervatione mirum eſt, quantum effici poſſit ad vires aegri, morbi ipſius indolem, quinetiam ad cauſſas aegritudinis percipiendas.

20.

Quae poſtquam probe ſunt inveſtigata, tempeſtivum eſt, ad ſymptomata ſemet convertere. Ea autem ceteris praemittenda ſunt, quae cum ſumma querelarum cohaerent: dein ſequuntur, quae ex his fluunt. Ex iis autem ſymptomatibus ratiocinia ea deducenda ſunt, quae morbi et ſedem et

modum noſcendi et reliquas qualitates declarant. Neceſſe eſt, ea ratiocinia haud prius formare, quam omnia ſingulaque ſymptomata ſcienter ſecum contuleris. Neque uni aut alteri ſoli fidendum, ſed conſpiratio potius omnium obſervanda eſt. *) Hactenus autem argumentandum eſt, ut partium ſolidarum fluidarumque mutatio et imponderabilium per nervos conductorum viciſſitudines pateant. **) In ſymptomatibus his etiam conſiderandae ſunt acceſſiones remiſſionesque ſeu continua mora. ***) Quibus adiungenda eſt hiſtoria morbi, ſeu relatio de intio eius variisque viciſſitudinibus, quas ad hanc uque diem ſubierit. Graviſſima enim eſt cognitio prodromorum primique inſultus, quo tempore contigerit, quoque modo aegrum adfecerit.

In eo autem examine probe diſtinguenda ſunt partium ſyſtemata, quae primitus patiuntur. Morbi enim, qui in reproductionis ſyſtemate radice egerunt, valde differunt ab iis, qui irritabile ſyſt-

*) Χρὴ πάντα θεάσασθαι τὰ σημεῖα καὶ μὴ πιστεύειν ἑι. *Galen.*

**) Τὰ ἴσχοντα, ἢ ὁρμῶντα, ἢ ἐνισχόμενα σώματα. Hip. epid. lib. 6. ſ. 8. p. 1199.

***) Ὧρη τῆς νούσου, ὁ χρόνος, τὰ ἐπιγινόμενα, ἁι περίοδι, καὶ τῶν περιόδων ἁι μείζονες καὶ αἱ διὰ πλείονος, ἁι ἐπιδόσιες, καὶ ἡ τῆς ἄλλης νούσου ἐπίδοσις, ἡ χάλασις καὶ ἡ ἀκμή. *ib.*

ma aut ſenſuum organa corripuerunt. Quanquam in plerisque adfectibus omnia ſyſtemata laborant, fit id tamen haud uno eodemque modo, neque perinde eſt, in hoc ſive in illo ſyſtemate primitus apparuerit aegritudo. (*inſtit. path. gen.* §. 28 — 31.)

21.

His abſolutis ad virium rationem conſilium transferendum eſt, quae, licet nonnunquam ex ipſis ſymptomatibus iam elucet, ſaepius tamen ſtudioſius inveſtiganda eſt. Magnopere intereſt, diſcrimen ſtatuere oppreſſarum duntaxat et vere debilitatarum virium (*inſtit. path. gen.* §. 48.); neque querelis aegrotorum nimis fidere, qui ſummam ſaepe infirmitatem accuſant, dum humorum congerie partes nobiliores obrutae aut vi morbi, dolorum etiam et ſpaſmorum violentia corpus defeſſum eſt. Probe quoque diſtinguenda eſt inaequabilis virium diſpenſatio a vera debilitate. Illa enim in multis morbis ſpeciem infirmitatis prae ſe fert, longe alio tamen modo diiudicanda. (*inſtit. path. gen.* §. 56 — 58.) Comparanda ſunt aegri aetas, vitae ratio, peculiaris corporis conſtitutio, cauſſae praegreſſae, ſymptomatum denique caterva, ut virium vera ratio inde eruatur.

22.

Tum transeundum eſt ad aetatem, quae inſignem habet efficaciam in mutandis morbis; puberta-

tis, exemplo et annorum ſcanſilium, quibus peculiares interdum aegritudines excitantur. (*inſtit. path. gen.* §. 37.) In feminis calliditate ſaepius cauta opus eſt, ut prodant magis aetatem quam claris exprimant verbis.

Exploranda dein ſunt vitae ratio, modus quo victus quaerebatur, ſtudia, opes aegri; quibus indagatis interdum egregia lux morbo adfulget. Exiguntur autem cognitiones haud ubivis obviae victus vitaeque opificum artificumque, quae ilico ſaepe morbi genus dilucidant. Nec res domeſticae familiaresque curae aut educatio aegri aut mentis dotes et proclivitas negligendae ſunt, quibus morbus vel efficitur vel mutatur. *) Conſuetudinum etiam vel maxime ratio habenda eſt, quippe quae vel intermiſſae morbum efficere potuerunt, varioque modo viciſſitudines eius excitare.

In variis morbis examinanda etiam eſt parentum conſtitutio, morborum genera, quibus conflictati fuerint, ut hereditarii mali indoles pateat. Id in arthriticis, calculoſis, ſcrofuloſis, melancholicis adfectibus magni momenti inſtar habet.

*) Hipp. epid. lib. ſ. S. 8. p. 1200. Καὶ τῆς γνώμης ξύνοια, αὐτὴ καθ᾽ ἑωϋτὴν· χωρὶς τῶν ὀργάνων καὶ τῶν πρηγμάτων ἄχθεται καὶ ἥδεται καὶ φοβεῖται, καὶ θαρσέει, καὶ ἐλπίζει καὶ ἀδοξέει.

Peculiaris ea dispofitio faepe in cenfum venit, quam *ἰδιοσυγκρασίαν* Graeci vocitare confuerunt, qua fit, ut potentiae nocentes fingulari modo vel ferantur vel contra eas natura laceffatur.

Nec contemnenda funt medicamenta, quae vel in hoc morbo vel in praegreffis iam adhibita fuerunt. Eorum effectus infigniter faepe aegri difpofitionem morbique naturam exponit.

23.

Tandem ad potentias ipfas nocentes feu cauffas occafionales abeundum eft, quae fumma fedulitate et prudentia inveftigandae funt. In iis autem eminet popularium morborum dominium, quod tanti eft, ut per fe morbis excitandis par fit. *) Ex ea conftitutione epidemica cognita non morbi indoles fola, fed probabilis etiam exitus nofcendus eft, ut indicationes rite formari poffint.

*) *Τῶν ἐπιδημιουσέων νούσων οἱ τρόποι.* Hipp. l. c.

CAP. IV.

DE VIRIBUS NATURAE MEDICATRICIBUS.

24.

Priusquam medicus curandi consilium capiat, in virium rationem inquirendum esse monuimus (§. 21.). Inde autem deducenda est sacratissima medicorum lex: Νούσων φύσιες ἰητροί: *morborum medicum esse naturam*, quae sine doctrina et instructione (ἀπαίδευτος ἐοῦσα) omnia moliatur, quae commoda saluti esse possint. Nec tamen peculiaris est aut sui generis naturae vis in morbis medicatrix, cum optime exponatur e vi universam naturam organicam regente, quae in duo momenta naturaliter diducta, altero momento suscipit stimulos et limitatur iisdem, altero autem eosdem mutat et vel in suam naturam abire iubet, vel arcet ac removet. (*instit. phys.* §. 62. *instit. path. gen.* §. 6. *inst. pharmac.* §. 8.) Ea ratione assimilatio contingit et nutritio, ac integra servatur corporum mixtio, etiamsi proclivis sit ad discessum particularum. (*inst. phys.* §. 54. 58. 78.). Eo modo consideratus morbus luctam sistit rerum externarum cum vi vitali, e qua phaenomena varia ipsique tumultus morbosi explicandi sunt. (*inst. path. gen.* §. 6.). Ita praecipue symptomata activa, tempora

morborum et critica molimina expoſuimus. (*ib.* §. 17. ſ.)

25.

Hinc igitur firmiſſima eſt et inconcuſſa veritas, tot praeclaris veterum dictis illuſtrata, ſine virium vitalium adminiculo nihil medicum poſſe in curationibus perpetrare. „Auxilia, inquit Galenus (*de opt.* „*ſect. ad Thraſyb.* p. 21.) in ſe ipſis conſiderata, non „uti ſunt, faciunt cauſſarum ablationem. Opus eſt „cooperante natura: equidem ſaltem impulſum et „principium naturae indunt, reliqua natura per ſe „ipſam efficit.“ Et Aretaeus (*cauſſ. acut.* lib. 2. c. 3.): „Natura vegeta et probe temperata omnia ſuperat, „omnibus dominatur, ac per humores et ſpiritus et „ſolidas partes, eorumque convenientem ordinem „et modum hominis vitam adminiſtrat.“ Et iterum: „Potentia naturae ſanitatem, imbecillitas morbum „parit.“ *) Luctam eam naturae cum potentiis externis, quae vel in victoriam vel cladem naturae tendit, pluribus locis Galenus illuſtravit. (*de cauſſ. ſympt.* lib. 2. c. 2. *meth. med.* lib. 2. c. 3.)

Nec naturae termino, ut qualitati occultae aut deo cuidam ex machina acquieverunt veteres, ſed

*) Aret. cur. diut. lib. 1. c. 7. *Δύναμις μὲν γὰρ φύσιος ὑγείαν τίκτει, ἀσθένεια δὲ νοῦσον.*

disertis verbis expresserunt ingenium, differentias et modum agendi. „Haud simpliciter, inquit Gale„nus *), nominanda est natura, sed adiiciendum est, „cuius ea sit et ubi.“ Generatim autem dicit naturam totam genus virium, quibus quis convalescit: et uberius: „Natura est ratiocinium totius virtutis „illius, quae animal regit, sive cum nostra conscien„tia, sive sine illa obluctamur omni praeter naturam „caussae, per quam laeditur aut corrumpitur corpus.“ (*de sympt. causs.* lib. 1. c. 3.)

26.

Quodsi igitur naturae vires et molimina uberius considerantur, obvium est protinus discrimen morborum acutorum et diuturnorum. In iis lacessita vehementius vis vitalis saepius sufficit, sibi ipsi vias aperit eaque molitur, quae sanitatem adferre valent. (*inst. path. gen.* §. 17.). In diuturnis vero morbis minus efficax est, etiamsi et ii quandoque, si vitae ratio et victus mutantur, naturae conatibus tollantur. Hinc Celsus (lib. 3. praef.) „Magis ignoscendum „medico est parum proficienti in acutis morbis, quam „in longis. Hic enim breve spatium est, intra quod, „si auxilium non profuit, aeger exstinguitur; ibi „et deliberationi et mutationi remediorum tempus „patet.“

*) Meth. med. lib. 3. c. 1. Ἀλλ᾽ οὐχ ἁπλῶς εἰπεῖν χρὴ φύσιν, ἀλλὰ προσθεῖναι τὴν τίνων καὶ ποῦ.

Dein tempora morbi momenti aliquid habent. In initio morbi perfecte formati raro ſolet eſſe natura ſufficiens ad eliminandas noxas. Plerumque neceſſaria eſt praevia praeparatio et remiſſio ingentium turbarum, quas ſequi ſolet ſolutio morbi aut criſis. Quodſi vero iam fini exitioſo proximus eſt morbus, naturae vires labaſcunt, rariſſimeque poſſunt ita revaleſcere, ut criſin moliantur. Caute tamen et de his eſt iudicandum; ſiquidem haud ſine exemplo eſt, criſes ſaluberrimas praecedi oppreſſione ea virium, ut penitus proſtratae eſſe videantur: ipſo tamen naturae beneficio iterum ſuſcitantur, ut miraculo revaluiſſe aeger videatur.

27.

Cum tamen natura ſit *ἀπαίδευτος* et, ut Hippocraticus auctor dicit, *κατὰ θείην ἀναγκαίην*, *ſecundum divinam neceſſitatem*, agat, in ſalutem nequaquam omnes eius actiones vertuntur. Etenim potentiae externae indoles haud facile adſimilanda, vis eiusdem nimia vehementia facultates corporis ſollicitans, turbas nonnunquam producit, ni pernicioſas, arte ſaltem haud imitandas. Accedit, etiamſi per ſe ſalubria ſint, quae natura molitur, effectus tamen adſociari, qui interdum maiora incommoda producunt: ulcerum, furunculorum, bubonum etiam peſtilentium exemplo, quibus, licet a natura productis, mala tamen plurima efficiuntur.

Nec negligenda ſunt obſtacula varia, qui ſemet naturae moliminibus opponunt: complicata aegritudinis indoles; illuvies humorum corruptorum: ſpaſmi etiam aut rigores, quibus viae conſtringuntur. Ita oriuntur criſes impeditae: τὰ κρίσιμα, μὴ κρίνοντα, quae Galenus dicit τὰ μὲν θανατώδεα, τὰ δὲ δύςκριτα, τουτέστιν ἄκριτα ποιεῖν τὰ νοσήματα. (*comm.* 3. *in praedict. Hipp. lib.* 3. *p.* 205.) Haec ſunt τὰ ἡμιῤῥόπως κριθέντα, quae ex metaptoſi acutos morbos faciunt. (*Galen. Comm. in aphor.* lib. 2. p. 349.)

Itaque, quamvis naturae miniſter medicus eſſe debeat, haud ſine prudentia ei obedire, neque, quaecunque molitur, promovere debet, ſed exitum proſpicere.

28.

In obſervandis naturae moliminibus modos eos, quibus natura utitur ad finem obtingendum, probe animadvertere decet.

Primum autem utitur *inſtinctu*, ſeu impulſu e ſenſu organico orto, quo ſine diſciplina ac conſcientia actus ſenſui congruos producuntur. (*inſt. phyſ.* §. 89.) Solet is appetentia ciborum, ſiti, poſitu corporis motibusque ſemet manifeſtare; ſaepius magnum artis adminiculum, ut, quanam ratione aegro ſuccurrendum ſit, diſcatur. Ecquis enim negaverit, cupiditatem acidorum in morbis putridis,

vini

vini in typho, aëris liberi in aliis morbis magni esse momenti, ut praecepta medici rite dirigantur? Saepius quidem fallitur instinctus; interdum pro instinctu habetur, quod cupiditati rudi tribuendum est. Neque facile obtemperandum est abnormi aut pravae chloroticarum feminarum et virorum melancholicorum appetentiae, quae ex acrimonia fucci gastrici derivanda insaniae saepe proxima est.

Quodsi igitur instinctu duci cupit medicus, et morbi indolem necesse est probe noscat et rerum naturam, quas appetit aeger, ut, salubres futurae sint an noxiae, iudicare possit.

29.

Multo latius patet alius modus, quo naturae vires morbis medentur. Lex enim universalis, quod omnem incitationem remissio sequi debeat, sufficit fere, ut spontaneae sanationes morborum multorum exponantur. (*inst. path. gen.* §. 21.) Cum ea cohaeret alia lex, quod chemica indoles insignite mutetur, si intentio virium sese remittit. (*inst. phys.* §. 250. *inst. path. gen.* §. 30.) Hac ratione inaequabilis imponderabilium conductio impeditaque consumtio cessat, eliminata per humores copiose excretos abundantia imponderabilium. Hinc non raro, si animi perturbationibus aut vigiliis aut aliis caussis, nullo modo per se humores mutanti-

bus, febriles inſultus accenduntur aut ſpaſmi cientur, ſolutio contingit per ſudores peculiari odore conſpicuos, quibus et ſpaſticorum nervoſorumve morborum acceſſus terminari ſolent. (*inſt. path. ſpec.* §. 527.) Quae humorum mutationes quanquam ſalubriter contingant, hactenus imitari ſolummodo naturae nutus nos oportet, ut remiſſionem ipſam parare, naturae vero committere, quorſum ac quomodo humores eiectura ſit. (Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων aph. 1. 21.)

30.

Cum eo naturali modo congruit etiam transitus morborum univerſalium in locales, quem alio loco (*inſt. path. gen.* §. 29. ſ.) uberius illuſtravimus. Univerſo corpore ſtimulis morboſis incitato et partibus praeſertim nobilioribus laceſſitis liberatio contingit, dum cutis inprimis, organon depurationi inſerviens et univerſalem conſenſum importans, adficitur; dum vel ſudores, vel exanthemata vel ulcuſcula etiam cientur. Haec eſt via, qua plerique morbi, et mere etiam nervoſi, iudicantur. Itaque imitatio naturae penſi habenda eſt, ut cutem irritemus, exanthemata aut ſecretiones morboſas producamus. Neque tamen prius haec molienda ſunt, quam morbi univerſalis efficacia ceſſaverit; (*inſt. path. gen.* §. 29.) et naturae etiam nutus eo verſerint. Ita etiam de

partiali tractus inteſtinalis incitatione ſequentique excretione humorum ac ſordium indicandum eſt. Univerſalis non raro morbus ceſſat, ſi haec contigerint; quanquam remittente ſemel febre et activis ſymptomatibus praegreſſis duntaxat ſalubre eſſe alvi profluvium poteſt. (*inſt. path. gen.* §. 249.)

Generatim vero ſancte ſervanda eſt lex, parari potius debere corpora aegrotorum ad excretiones, quod victu fit iisque artis praeſidiis, quae nimiam incitationem et inaequabilem imponderabilium conductionem minuunt, quam hunc vel illum adfectum localem, arbitrio magis quam naturae iudicio, excitari. Εὔροα ποιεῖν vocitabat Cous ſenex, ποροποιεῖν Galenus eam medendi rationem (*aph.* 2, 9.), quam de meatibus omnibus recludendis et humoribus diluendis intelligit Galenus. Nonnunquam enim citra omnem excretionem morbi ceſſant, ſola perſpiratione cutanea aucta. (*inſt. path. gen.* §. 21.)

31.

Conſenſum ſaepius et antagoniſmum partium naturae vires adhibent, ceu adminiculum in amovendis morbis. (*inſt. phyſ.* §. 72. 74.) Liberatur enim altera pars incitatione, ſi altera, conſenſu priori iuncta, denuo incitatur. Eam ἀντίσπασιν dictam ſtudioſe obſervandam eſſe ſuadet Hippocrates: nec prius ſimile aliquid patrandum eſſe exiſtimamus,

quam ingenium popularium morborum et naturae nutus eo vergere videantur. Ita angina parotidea frequenter in tumores verendarum partium abſcedit (*inſt. path. ſpec.* §. 223.); pulmonum inflammationes in eryſipelata et ulcera cutanea, quae omnino caute imitanda ſunt.

32.

Praeterea ineſt ipſi inaequabili vis nervoſae dispenſationi ſalubre aliquid, quo morbi tolluntur. Namque accumulata vis ſenſifera excitat nonnunquam et alias facultates, praeſertim vegetativam et nutritivam, aut dolores naſcuntur et ſpaſmi, quibus, etiamſi moleſtias plures proferant, ſalus tamen parari poteſt. (*inſt. path. gen.* §. 57. 259. 260. 271.) Hac ratione arthritici inſultus ſalubres ſunt, ut torporem organorum digeſtioni inſervientium tollant ac excretiones utiles promoveant. (*inſt. path. ſpec.* §. 452.) Quodſi natura eo vergit aut iis phaenomenis adſuefacta eſt, et ars imitari debet naturam, doloresque ciere aut ſpaſmos, quibus nervorum reſolutiones et humorum ſtaſis ſaepe avertitur.

33.

Alia prorſus eſt ſanandi ratio, qua natura utitur, ut, ſi quid continui ſolutum eſt aut amiſſae partes, inflammationem ſuſcitet, novamque ſecretionem, qua ὠργανουμέναι particulae accedunt ad reſar-

ciendum vulnus et partes regenerandas. (*inſtit. phyſ.* §. 84, *path. gen.* §. 105. 196. *path. ſpec.* §. 162. ſ.) Itaque et ſuppurationi magna vis ineſt, morbos naturae nutu ſanandi et partes amiſſas reſtituendi. Neque tamen et haec contingere poſſunt, priusquam univerſalis incitatio decreverit, et in localem abſceſſerit excitationem, ſecretionibus ſtipatam. Neceſſitas imminutae incitationis univerſalis vel inde probari poteſt, quod regenerationis vis in ratione inverſa eſt ad ſenſiferae vis dominium. (*inſtit. phyſ.* §. 84.) Ars imitatur haec naturae molimina, dum debito tempore inflammationem ſuscitat, eoque modo continet ac in mediocri gradu ſervat, ut ſuppuratio benigna aut exſudatio ſaltem conſequi poſſit.

34.

Denique natura finis potitur, dum partem vi morbi depravatam atque deſtructioni proximam penitus deſtruit ac a reliquo corpore omnino ſeparat. Ea quidem curandi ratio in gangraena, ſphacelo et carie oſſium conſpicua (*inſt. path. ſpec.* §. 174. 183.) non niſi cautiſſimam admittit imitationem, cum noſtrae poteſtatis haud ſit, deſtructioni terminos imponere idoneos. Itaque nec in grangraena curanda ſphacelum, nec in carie necroſin cauſticis producere conſilii eſt: ſed ita agere, ut naturae vires in partibus, quae iuxta ſunt, erigantur, debi-

toque modo contineantur, ut abigere partem destructam possint. Quodsi naturae vires vel non suffecerint, vel obstaculis pluribus impeditae fuerint, fatius est ferramentis id tentare, ulcusque carcinomatosum exstirpare, quam medicamentis intutam partium destructionem moliri.

CAP. V.

DE INDICATIONIBUS GENERATIM.

35.

Regulae curationum, seu iudicia de eo quod salubriter in corpore mutandum est et perficiendum, *indicationes* dicuntur. Haec iudicia si format, eas regulas si sequitur, medicus artifex dicitur; alioquin opifex est aut agyrta. Hic enim, nullius regulae sibi conscius, quae iuvarunt aut nocuerunt in similibus morbis, usu doctus iterum adhibet. Regularum earum auctor Hippocrates therapiam generalem vere condidit, quanquam indicationum nomen ab ipso inventum non sit. (*Galen. meth. med. lib.* 4. p. 78.) Magna dein contentione inter dogmaticos empiricosque oborta de medicinae viis ducendis; illi et nomen et informationem ἐνδείξεων s. indicationum curatius introduxerunt. Cum Galeno

autem omnes dogmatici in eo ſemper conſenſerunt, a primis indicationibus et generalibus incipiendum eſſe, ſi methodum medendi inſtituere volueris; atque ex illis, quae generatim dicta et clare patefacta ſunt, invenienda eſſe ea, quae ſpeciatim valeant. „Qui rationem, inquit Galenus (*meth. med. lib.* 1. „p. 38.), ducem inventionis fecerunt, et ordinem „et viam unam, quae ad finem ducit, inſtituunt, „illis neceſſum eſt, ab univerſali quodam incipienti„bus, agnito ab omnibus, transire ad reliqua. Sic „arbitror etiam ab illis, quae in medica arte de„monſtratae ſunt, ad ſummas quasdam haud porro „demonſtrabiles et ex ſe ipſis fide dignas propoſitio„nes adſcendendum eſſe."

Eſt autem indicatio ratiocinium quoddam, quo univerſalia cognita ponuntur, ex iis autem concluſio fit ad invenienda auxilia. Nec tamen protinus haec concluſio valet, nec ubique certiſſima eſt. Haud proxime fluit e generali ſtatus morboſi cognitione, quomodo removendus ſit, cum prius ſpecialis et individua aegritudinis conditio praemitti debeat. Neque certiſſima eſt regula, ſiquidem iure ſuo *τὴν ἐπιστημονικὴν διάγνωσιν*, *τεχνικὸν στοχασμὸν* Galenus nuncupat. (*inſtit. phyſ.* §. 19.)

36.

Quodſi medendi regulae ex iis proficiſcuntur, quae clara ſunt et manifeſta, aut quae inductione

et epilogiſmo eruta ſunt, indicationes ipſae verae e tutae ſunt: opinabiles vero, στοχαστικαὶ aut fallaces etiam, ſi hypotheſibus vel commentis nituntur. (*inſtit. phyſ. introit.* §. 10 — 13.) Quo plus arbitrarii ineſt hypotheſibus, eo magis fallaces fiunt indicationes iis ſuperſtructae: quo plures vero conveniunt ac conſpirant obſervationes in ſtabilienda hypotheſi, eo probabilior fit indicatio; donec tandem, quae optimum epilogiſmum baſin habent, contradictionem fere nullam admittant. Cuivis patet, gradus quosdam adeſſe et modos ſenſibus fere non obvios a claritate ad ſolam opinabilem indolem, quos animadvertere et rite diſtinguere acutiſſimum exigit optimi medici iudicium. Quo magis therapeutica doctrina ſibi cavet a regulis opinabilibus, eo dignior eſt, eoque magis verae artis progreſſum promovet. Neque tamen omnes omnino hypotheſes vitandae ſunt, cum rerum ipſarum indoles haud ubivis clara ſit, ſed coniecturis locum largiatur. Itaque praeprimis enitendum, ut hypotheſes caute caſteque formentur, continuoque in emendandis iis et corrigendis laborandum, ut, quantum fieri poſſit, dignitatem naturae iudiciorum adipiſcantur.

37.

Regula curationum poteſt verſari in removendo ſtatu praeternaturali ſimplici vel compoſito vel etiam complicato: unde indicatio erit vel *ſimplex* vel *com-*

posita. Qui aequabilem vis sensiferae dispensationem restituere conatur, simplicem; qui simul egerere studet abundantiam humorum aut detrahere impetum ab organo quodam nobiliori, compositam format indicationem. Iam vero, cum simplicior informatio, simplicior regula clarior sit et tutior composità, praeferendae his ubique illae sunt.

Id tamen ante omnia tenendum: compositas indicationes saepius, ni plerumque posse debereque ad simpliciores reduci, ut clariores fiant facilioresque. Siquidem composita morbi natura complectitur variorum organorum adfectiones ab eadem caussa diverso modo productas (*instit. path. gen.* §. 43.); disparilitas haec adfectionum saepe fucum imponit morbo toti, deducitque medicos a simplicitatis tramite, ut regulis magis compositis sibi ipsis tenebras pariant et valetudinem aegroti etiam magis offendant quam adiuvent.

38.

Quo magis optimus quisque medicus penetraverit morbi naturam, eo simpliciorem formabit indicationem, cum facile perspiciat, disparilitatem variorum adfectuum simul praesentium ex opportunitatibus organorum aut e varia caussarum indole proficisci, nec verae caussarum diversitati adscribendam esse. Namque, qui febre laborat nervosa,

pulmonum adfectiones inflammatorias fimul pati poteft, ex eadem cauffa fluentes, eodemque methodo tollendas, fi modo exploratum habemus, cauffam generalem morbi in hoc homine eo modo egiffe. Tirones et, qui expertes interioris funt morborum cognitionis, proclives funt in compofitiones morborum complicationesque ftatuendas, quibus curandi ratio non folum pervertitur, fed penitus etiam deletur, ut tandem empirico modo adfectus quivis et moleftiae tollantur.

Ut ab hac caveamus perverfitate, neceffaria eft particularis regulae cuiusvis reductio ad normam univerfalem; quod, etiamfi ubique fieri nequeat, faciliorem tamen et clariorem et fimpliciorem reddit curandi rationem. Quodfi enim obviam ire inflammationi ad typhum accedenti neceffe eft, regula ea particularis optime reduci poteft ad univerfalem in typho indicationem, quae verfatur in reftituenda aequabili vis fenfiferae diftributione et minuenda nimia eius incitatione.

39.

Nihilominus fallitur, qui, fimplicitati foli ftudens, generalibus praeceptis folummodo fubfiftit. Imperfecta enim eft et lacunofa curationis via, quae corporum fingulorum varietates negligit: namque nec genus humanum fanare, nec morbi ideam,

qualem ſibi intellectus ſingit aut imaginatio, e medio tollere noſtrum eſt, ſed morbos ſingulares et individuos in ſingulis et individuis hominibus. Itaque probe unienda ſunt generalia praecepta cum particularibus, haec autem ex illis, inductione praeeunte, eruenda. Quodſi compoſitio inde regularum exoritur, operam dare debemus, ut certo et naturali ordine conſtitutae eodem ordine obſerventur iisque obtemperetur. Si quis forte ex iracundia inflammationem contraxerit, ſordes bilioſae in ventriculo congeſtae prius eliminandae ſunt, quam impetum avertere a partibus nobilioribus tentaveris.

Saepius tamen generalibus praeceptis acquieſcere neceſſe eſt, cum peculiares morbi conditiones aut ſingulares corporis adfectiones nos lateant. Id docent inter alia exempla celeberrima Waſſenaerii et S. Albani a Boerhaavio deſcripta. (*Rariorum morborum hiſtoriae prior et poſterior ed. Baldinger. Frcf.* 1771. 8.)

40.

Cum ſimplicitate indicationum iungenda eſt complexio omnium ad eas pertinentium cumulata, ſine qua nec cogitari quidem perfectio poteſt. Neceſſaria eſt clara perſpectio et corporis conditionum, indicationem hanc vel poſcentium vel admittentium, et mutationum omnium, quae ſequi neceſſario con-

fuefcunt, aut fortuito poffunt indicationis expletionem. Quod nifi fiat, falebrofa eft via, qua medicus incedit. Qui in inflammationibus impetum fanguinis minuendum effe iubet, neceffe eft fimul perfpiciat, quomodo id fieri in hoc fingulari cafu poffit, quanam ratione mutationes impetu fanguinis minuto obortae fanitatem reftituere poffint, ac quibus modis obftacula huius curationis rite removenda fint.

Hac igitur ratione abufus fimplicitatis vitatur. Sed alius eft fcopulus, in quem impingunt, qui, phaenomena morbofa e primis rerum omnium principiis exponere fatagentes, regulas quidem fingunt fimpliciffimas, fed examen rationis et liberi a praeconceptis fcholarum commentis iudicii fugientes. Qui nimiam in ratiociniis fiduciam collocant, malunt facillimam et fimpliciffimam ftatuere curationis normam, quam naturae iudiciis, faepe magis compofitis operam navare.

41.

Quanquam indicationes femper verfentur in removendo ftatu praeternaturali, poffunt tamen vario modo diftingui pro varia ratione eius ftatus.

Indicatio *cauffalis* dicitur, quae cauffas amovendas, vel occafionales vel etiam disponentes complectitur: ut, fi quis plumbi oxyda colicam fatur-

ninam excitantia, in regulinum ſtatum reducere aut e corpore eiicere ſtudet, aut ſi pulmonum debilitatem cuſtodire contra morbi efficaciam conatur. *Prophylactica* eadem dicitur, cum terrentia morbi avertere et cavere a morbo imminente nitatur. Qua quidem definitione patet, therapeutices omnino partem eſſe, cum in ſtatu praeternaturali avertendo verſetur. Alia autem eſt prophylaxis, hygieines pars, quae, quomodo ſervanda ſit ſecunda valetudo et vitandi morbi, docet. Liquet etiam indicationem prophylacticam neutiquam locum obtinere, ubi nulla ſunt morbi terrentia, nulla cauſſarum efficacia. Homo, qui bene valet, dum morbus popularis graſſatur, curationem nullam admittit: ſed is, qui vel valetudinarius eſt, vel terrentia morbi iam ſentit.

Huic indicationi opponitur *curativa*, quae ipſi morbo iam praeſenti obviam it et *apotherapeutica*, quae reliquias morbi excutere conatur. Haec autem neceſſaria eſt, cum officium medici exigat perfectam morbi curationem. (§. 6.)

42.

Graviſſimae quoque ſunt indicationes *vitales*, quae in ſervandis ſolis viribus verſantur, neque rationem ullam morbi aut cauſſarum habent. Quodſi enim natura aegritudinis ſpecialis vel individua nos latet, ſi cauſſae occultae ſunt, nil ſupereſt, niſi vi-

res vitales ſervare et excitare, ut, quomodocunque id fieri poſſit, ipſae morbum vel tollant vel leviorem reddant. (§. 4. 24.)

Cavendum tamen, ne haec indicatio negligentiae vel ignorantiae aſylum praebeat. Etenim dedecet medicum levitas ea, quae praetendens morborum aut cauſſarum latentem indolem, ſolis viribus ſervandis operam navat: cum in plurimis morbis naturae conamina haud ſufficiant ut morbus tollatur. Itaque prius acquieſcere huic indicationi eſt nefas, quam cum vel deſperamus curationem ipſam, vel perſuaſum nobis eſt, nec cauſſas nec morbum penitius nos cognituros eſſe: aut denique, cum obſtacula ea curationi ſemet opponunt, quae e medio tollere omnino nequimus.

Nec ſine momento eſt, indicationes vitales ſaepiuſcule cum curativis easdem eſſe, ſiquidem in morbis pluribus cardo totius curationis vertitur in virium rationibus ita regendis moderandisque, ut pares morbo ſint vincendo.

43.

Denique indicationi curativae opponitur ea, quae graviores ſolummodo adfectus levare aut e medio tollere ſtudet, ſalvo tamen morbo ipſo et intactis cauſſis. Barbara voce ea indicatio dicitur *palliativa*, quaſi pallio obtegat morbum. *Mitigato-*

riam appellamus cum veteribus (παρηγορικὴν) et *ſymptomaticam*, quod ſymptomatibus ſolis oppoſita eſt.

Hac autem indicatione egere non poſſumus, cum, Galeni ſententia (*comm. in aph.* 6, 38.) mederi duplex ſit: alterum quidem omnia facere, ut ſana ſiat adfecta pars; alterum, adhibita conveniente morbis circumſpectione, ſolari et manſuefacere. Itaque non ſoli morbo tollendo cura eſt adhibenda, ſed amovenda omnia quae moleſta ſunt.

Alia etiam, et maior quidem dignitas indicationis ſymptomaticae inde proficiſcitur, quod interna morborum indoles, quae eſſentia dicitur, ſaepius nos penitus latet, neque indicationes inde petitae adeo clarae ſunt ac exploratae, neque eam habent ſecuritatem, quam quae e manifeſtis functionum laeſionibus et ſymptomatibus fluunt. Febrem enim curaturus, ſi ſolam ſequitur informationem, quam ſcholae ſibi de morbi ingenio et natura ſingunt, in diluculo et nebulis ſaepius verſabitur, cum hypotheſes duces agnoſcat. (§. 36.) Qui vero calorem minuere et ſanguinis impetum, aperire conatur vias, quibus natura ſemet liberare poſſit, is, licet ſymptomaticas formet indicationes, multo tutiorem viam eligit, eamque, quae ad ſalubrem ſinem conducit.

44.

Alia eſt indicationis ſymptomaticae praeſtantia, quae e ſymptomatibus variis curationem ipſam impe-

dientibus fluit. Poteſt enim ſymptoma quoddam eius eſſe indolis, ut, niſi prius tollatur, nulla omnino curatio contingere valeat, aut vires ſaltem prius deficiant. Qui hydropem curaturus eſt, haud ubique laxitatem vel ſtricturam vaſorum abſorbentium, vel glandularum duram imperviamque indolem amovere poteſt, niſi prius colluviem aquoſam acu triquetra eduxerit. Faciliorem igitur reddit indicationem curativam ipſa indicationis ſymptomaticae expletio. Quod eo clarius ſit, ſi, virium vitalium proſtrationem ſymptoma eſſe frequentiſſimum morborum conſideramus: eius autem amotio quantopere neceſſaria ſit, ex indicationis vitalis praeſtantia patet. (§. 42.)

45.

Nec negligenda eſt ſymptomatum efficacia in producendis novis morbis aut compoſitionibus etiam morborum. Haec minuitur, novique morbi avertuntur, cum ſymptomatibus nosmet opponimus. Quodſi enim in febrium nervoſarum initio impetus ſanguinis haud mitigatur, eo nobiliora organa ſaepius adeo corripiuntur, ut encephali et pulmonum inflammationes inde naſcantur. Itaque capitis atroces dolores in typho ſtudioſe mitigandi ſunt, ne vel encephalitis vel apoplexia aegrum praecipitent.

Accedit, quod cum his cohaeret, ſymptomata varia hactenus atrocia eſſe tantumque caſum recipere, ut, ni vincantur, praecipitent aegrum. Ecquis enim gan-

gangraenam, quae ad febrem nervofam accedit, aut nervorum refolutionem, morborum diuturnorum comitem, intentatum reliquerit? Ecquis femet haud oppofuerit alvi profluvio pertinaci, vires aegroti confumenti?

46.

Denique, quod caput rei effe videtur, morbi natura ipfa faepe infuperabilis, aut curatio, quae opponitur, plus damni etiam infert quam falutis. Itaque tutius eft, fymptomata oppugnare, maxime cum iis ablatis morbus etiam fimul tollatur. Nulli enim non notum eft, fcirrhum tentari neutiquam debere ea curatione, quae acribus ftimulis penitus refolvere eum conatur: multo plus autem iuvare mitigatoriam methodum, quae doloribus fedatis et impetu fanguinis averfo cavet a transitu in carcinoma. Quin etiam poteft nonnunquam, quae fymptomatibus adverfa videtur methodus, vere effe curativa, cum remediorum actio faepe latius pateat.

Hinc nec fpecificam methodum fymptomaticam nuncupaverim, cum illa potius curationis confilio ipfo nitatur et morbi ingenio ipfi opponatur: hydrargyrofeos exemplo, quae etfi fpecifice agat in fyphilide, indicationem tamen curativam fequitur.

47.

His enumeratis indicationis ſymptomaticae commodis, generatim tamen dicendum eſt, ſymptomata ſola medendi vias haudquaquam aperire, ſed tum demum, cum rite collata atque cum cauſſis et toto morbi decurſu comparata fuerint. (*inſt. path. gen.* §. 11.) Ratio doctrinae pariter ac conſtantia medici exigunt methodum eam, quae, rite exploratam morbi naturam e medio tollere omnesque effectus avertere conatur, quaeque haud facile accedentibus his vel illis ſymptomatibus perturbatur. (§. 7.)

CAP. VI.

DE INDICANTIBUS ET CONTRAINDICANTIBUS.

48.

Qui acturus rationem ſequitur, clare perſpiciat neceſſe eſt, cur aliquid agat aut moliatur. Medicus igitur rationalis, regulas ſibi formans actionum therapeuticarum, debet cauſſae conſcius eſſe, cur hoc vel illud moliatur: quae cauſſae actionum dicuntur *indicantia*: res vero, quae oppoſitae curationibus eas prohibent, *contraindicantia* appellantur.

49.

Indicans autem vel generatim consilium curationis format, vel speciales regulas. Illud omnium eorum, quae morbum fecerunt, complexionem sistens, diagnosi nititur, et unicum est, cum ea omnia iubeat, quae consilium curationis producunt. Indicantia vero particularia plura esse possunt, cum variis modis consilium generale obsequi liceat.

Magnopere interest, prius consilium secundum indicans generale formare, quam ad singulas variasque cautiones seu medendi vias descendamus. Etenim hae sine illo haud satis cohaerent, neque constantes esse possunt: sed contrariae sibi plurimae sunt, nisi ad generalia praecepta redigantur. Sic qui in typho impetum sanguinis minuere student, iis semet opponunt, qui stimulis fugacibus nimiam credunt incitationem deprimere posse. Sed utrumque consilium speciale ad generale praeceptum reduci potest; inaequabilem vis sensiferae distributionem regendam ac moderandam esse.

50.

Quemadmodum consilium generale curationis e diagnosi morbi, ut generis, fluit, ita consilia particularia e modis variis proficiscuntur, quibus morbus sese manifestat. Individua vero existunt indicantia e ratione singulari, qua morbus in hoc vel illo ho-

mine apparet. Sic typhus alio modo in homine curandus, qui in luſtris tempus aetatis conſumſit, ac in eo, qui ἐνεξίᾳ eouſque inſignis fuit. Arthritis alias curandi regulas particulares exigit in femina delicata ac in agricola aut auriga. Itaque perfecta indicatio nititur tum indicante univerſali, tum ſpeciali, tum etiam individuo; quanquam ex hoc cautelae potius aut momenta conſilii formantur quam ipſa conſilia.

51.

Quaenam ſint indicantia, patet ex iis, quae de examine aegrotorum inſtituendo monuimus. (§. 19. ſ.) Therapeutico vero fine quaeſtio ea ita habenda eſt, ut phaenomena morboſa et praeſentia et praeterita non ſolum obſervemus, ſed etiam rite aeſtimemus, ut pateat, quomodo orta ſint; quamnam habeant rationem ad formam morbi; quaenam ſyſtemata corporis aut quaenam partes primitus adfectae ſint; quaenam denique internae corporis mutationes probabiliter contigerint, a quibus tota aegritudinis forma pendeat. Ea ſunt indicantia principalia, quae tum obſervatione, tum etiam ratiocinio erui, cuivis patet. Per ſe igitur ſymptomata non indicant, niſi ope ratiocinii ad ortum eorum adſcenderis, niſique ratione habita eorum, quae de indicatione ſymptomatica praecepimus. (§. 43.)

Nec caussae externae per se indicant, nisi quatenus mutationes corporis ex iis exponuntur. Neque enim aëris temperies aut qualitas depravata prius regulas curationum indicabit, quam corporis constitutio ea peculiari modo correpta est. Caussae autem praedisponentes, cum corporis sint deflexus a norma sanitatis, utique indicantibus accensendae sunt, licet individua maxime consilia inde proficiscantur. Quodsi morbi natura per se haud adeo patescit, ut indicans esse possit, refugiendum est ad caussas remotiores, quarum effectus magnopere iuvant expositionem morbi ipsam.

Quod et prognosis indicantia formet supra iam innuimus. (§. 9.) Decursus enim morbi probabilisque exitus ni consilia ipsa formare iubent, mutationes tamen modosque consiliorum producunt nunquam in perfecta curatione negligendos.

52.

Cum nec morbi interior indoles, nec modus, quo caussae mutarunt corpus, nec symptomatum ratio ad morbi ingenium semper satis pateant; indicantia saepius incerta, plurimum nonnunquam valent, dum coniectura probabili nituntur. Quanquam certitudinem ambire dignissimum sit medico rationali, vi tamen eam exigere, ubi pleraque latent, haud licet. Indicantia particularia, et quae

epilogiſmo eruuntur, multo magis probabilia eſſe ſolent, quam generalia, quae ratione ſola aut inductione haud perfecta, aut hypotheſi demum finguntur.

Increſcit probabilitas et certitudini proxima eſt, ſi duabus aut pluribus corporis conditionibus idem curationis conſilium indicatur. Ea conſenſio magnopere exoptanda eſt, ut actiones noſtrae aliquid certi acquirant.

53.

Indicans ſi ſufficientem indicationis rationem continet, *perfectum* dicitur et *completum*: imperfectum vero et incompletum, ſi id ſecus ſe habet. Generalis quidem indicatio ſaepius rationem ſufficientem in indicante quodam habet, nec tamen ſpecialis. Namque evacuandas eſſe ſordes indicatur non raro, nec tamen emetica methodus. Quodſi vero plura conſentiunt indicantia, per ſe quidem haud perfecta, perfecta tamen et completa fiunt conſenſu. Itaque neceſſarium eſt accuratius examen, quo rationes corporis penitius cognoſcantur, ut indicantia fiant completa.

54.

Indicantia pleraque conditione quadam circumſcribuntur; niſi alia, ea ſaltem, ſi vires ſuffe-

cerint, aut niſi obſtacula fortuita ſemet oppoſuerint. Plura tamen fere nullam admittunt conditionem, ſed qualibet corporis ratione regulam eamdem adhiberi iubent: velut ſphacelus membrum aliquod devaſtans, qui praecidendam eſſe emortuam partem imperat.

Intereſt tamen et hic inter indicationes generales et ſpeciales, quod illae utplurimum nulli adſtrictae ſunt conditioni, hae autem omnino pluribus circumſcribuntur. Febris quidem intermittens comitata celerrimam iubet virium vitalium excitationem: ſed, ſive id fiat ope corticis peruviani, ſive alio modo, perinde ſaltem neutiquam eſt, ſed examine ulteriori eruitur.

55.

Ubi latet morbi natura, ubi cauſſarum effectus aeque obſcuri ſunt ac ſymptomatum ratio: ubi ſaltem indicantia tot conditionibus circumſcripta videntur, ut, quo nos vertamus, quidve agendum ſit, dubitemus; ibi cordatum medicum experimenta inſtituere atque a iuvantibus nocentibusque medendi vias trahere decet. (§. 3.) Quod vero cum empiricorum temeritati finitimum ſit, prius eo refugiendum non eſt, quam exhauſti fuerint omnes indicantium fontes. In morbis novis etiam popularibus ſaepius contingit ea indicantium obſcuritas aut con-

traria indoles, ut, eo duntaxat, quod iuvat aut nocet, edocti, moliri aliquid possimus.

56.

Contraindicantia sunt rationes corporis aegroti, quibus prohibetur regulae cuiusdam applicatio aut indicatio. Itaque per se contraindicantia haud subsistunt, sed ubique sunt in ratione indicantium: quodvis etiam indicans contraindicat omnia ea, quae obstant, quominus imperata rite perpetrentur.

57.

Contraindicantia totidem habent differentias, quot indicantia. Sunt certa et incerta; vera et fallacia, probabilia etiam; perfecta et imperfecta; generalia, specialia et individua, conditionibus circumscripta, vel nullis conditionibus subiecta. Specialia quidem et individua multo frequentiora sunt generalibus: namque indicantia quidem generalia tuta esse possunt ac certa, secus tamen specialia et individua. (§. 50, 53.)

Itaque contraindicantia eo valent, ut, licet indicatio generalis sancte servanda sit, speciales tamen regulae eruantur, quae actiones medici determinant selectumque medicaminum idoneum formare iubent. Cautum faciunt medicum contraindicantia, ut mo-

menta quaevis investiget, quae et morbi perfectam cognitionem et idoneam medendi methodum paratura sunt. Qui his sedulo inquirendis operam dat, nihil temere, ac praeconceptis scholarum opinionibus irretitus, molitur; sed circumspectissime tutum curationis consilium et perfectum sequitur.

58.

Quae circumspectio etiamsi laudabilis est, quamvis graviora contraindicantia indicantium usum penitus abolent; abutuntur tamen meticulosi homines contraindicantibus, si iis, quae speciales individuasque corporis rationes aut effectus medicaminum fortuitos complectuntur, deterrentur a mascula curandi ratione. Nihil agunt, ne nocuisse videantur. Quae timiditas ut virum dedecet, qui suae spontis est et miseris opem ferre debet, ita saepius e scientiae defectu proficiscitur. Namque, qui phaenomenorum morbosorum rationem nexumque rite indagaverit, multo pauciora reperiet contraindicantia; nonnulla enim, quae contraria primo intuitu videntur, ut interius cognoscuntur, in eo nexu apparent, qui curationis consilium nequaquam impedit. Quodsi enim aliquis, ad curandam febrem intermittentem vocatus, saburram animadverterit primarum viarum, huius nexu haud prius indagato, deterrebitur forte ab indicatione vera, quae tonicis remediis ventriculi

nervos ſollicitare ſtudet. Scientius vero indagato fonte ſaburrae, perſpiciet, eamdem a longiore mora ipſius febris intermittentis natam ſoli ſaepe cedere tonicae methodo.

Strenui etiam medici eſt, contraindicantia prius removere, quam indicantibus obtemperet. Saepius contraindicans ſola medicamina vetat, nequaquam vero curationis conſilium: itaque mutanda remedia, ſed minime conſilium ipſum.

59.

Repugnant autem vel indicantibus ipſis vel indicationibus, maxime vero indicatis variae corporis rationes: aetas infantilis vel ſenilis: ſexus rationes, ut graviditas, menſtruorum curſus, aut tempus, ubi menſtrua haud amplius feruntur; vitae genus et temperamentum partium ſolidarum: idioſyncraſia et conſuetudo, quibus omnibus indicata nonnunquam oppugnantur, conſilium ipſum vero generale neutiquam exceptionem experitur.

CAP. VII.

DE INDICATIS.

60.

Indicata dicuntur omnia artis praesidia, quae ad consilium curationis exiguntur, ut mutationes salubres contingant. Cum autem rerum saluti conferentium immensa fere sit varietas; tantum abest, ut solis medicaminibus finem attingamus, ut animi etiam vires et adfectus, victus rationem, aëra omniaque, quae hominem ambiunt, quocunque modo in corpus agentia, indicatis accensere liceat. (*inst. pharmac.* §. 3.)

61.

Maximi momenti est, nec victus rationem, nec rerum earum, quae aegrotum ambiunt, efficaciam unquam negligere, cum medicamenta saepius irrita sint, aut longe alienum, imo contrarium effectum producant, nisi victus ratio iis faveat; cum interdum quoque sola diaeta sufficiat ad morbos tollendos. Id non solum de levioribus acutis morbis valet, quos naturae vis, victu idoneo adita, saepe sola sanat (§. 4. 24. f.); sed in diuturnis pluribus aegritudinibus mutatio victus vitaeque generis, itinera et habitatio in locis sanis mirum quantum conferant ad sanitatem restituendam. Eum igitur erro-

rem ſedulo vitare debet medicus, quaſi ſolis medicaminibus, quae ex officinis petuntur, morbus quilibet fugandus ſit; quamvis praeconceptae vulgi opiniones inertiae interdum medicum accuſent aut negligentiae, niſi plures ſorbitiones, pulveres, pilulas et unguenta ex officinis peti iubeat.

62.

Aliud eſt praeceptum, haud minoris momenti. Medicamenta, ſi qua indicantur, ita eligenda ſunt, ut rationem actionis reddere poſſis. Itaque nihil imperandum, quod ſuperfluum ſit, cuius actio dubia, aut quod maiora etiam damna adlaturum ſit. Studioſiſſime ſimplicitas obſervanda eſt, neve plura iungenda ſunt remedia aut ſimul adhibenda, quam vel compoſita aegritudinis indoles, vel mutuum remediorum adminiculum poſcunt. Etenim, quo plura miſcueris, eo minus rationem reddere actionis ſingulorum licebit.

Nec, ſi optio datur medicaminum exoticorum et indigenorum, novorum vel diu cognitorum, exotica potius aut nova praeferenda ſunt, ut noſtrae aetatis moribus obtemperemus. Nova remedia prius in noſocomiis publicis tentanda ſunt, efficacia etiam comprobanda, quam in praxi privata adhibeantur. Gloriatio eſt contemtu digna, quamvis novam ſequi curationem, noviſque ſemper medicaminibus uti;

plerumque proficifcitur e defectu fcientiae folidae. Exoticis remediis licet egere nequeamus; cavendum tamen ab eorum ufu, fi indigena minoris pretii, eiusdem autem valoris funt. Namque impenfis parcere aegrotorum, officii noftri eft.

63.

Remediorum actionem in corpore medicus artifex ita obfervat, ne, partium ftudio aut praeconceptis opinionibus occoecatus, organifmi naturam fusque deque habeat. Triplex ratio, quo externae res corpus animale adficiunt; mechanica nimirum, phyfico-chemica et dynamica, continuo ob oculos verfatur medico, ut cuiusvis remedii actionem primariam fibi claram reddat. (*inft. path. gen.* §. 28.) Nec negligit confenfum partium omnium, maximeque confpirationem centralium organorum et antithefin (*inft. phyf.* §. 16. 61.), ut ex alio in aliud deflectere morbum atque a nobilioribus in minus graves partes derivare poffit.

64.

Multo magis refert fcire quid medicamenta efficiant, quam quomodo agant, licet nec de hac fcientia penitus fit defperandum. Cum nondum exploratum fit, quomodo hydrargyrum corpus animale adficiat, perfuafum tamen habeamus, vafa abforbentia et capillaria peculiari ac fpecifico modo id irri-

tare (*inst. pharmac.* §. 315.); amplissimus aperitur campus observationum et inquisitionum, quibus differentiam effectuum, quos hoc et quos similia producunt remedia. In eo semet exercere decet quemvis artificem, observatione adiutum doctrina et ratiocinio. Qua quidem parte scientiae gravissima rite exculta vitantur plurimi errores et contentionum occasiones, quae de modo agendi semper existent.

65.

In exhibendis remediis caute observabit medicus differentiam individuorum corporum; discrimen partium, in quas adhibentur remedia; magnam varietatem formarum, quibus applicantur; dosium diversitatem, unde insignis varietas effectuum nascitur: denique etiam aliarum rerum, quae aegrum ambiunt, magnam efficaciam in mutandis remediorum effectibus. Haec iterum observationi et ratiocinio uberrimam praebent occasionem, qua semet exerceant.

66.

Tandem meminisse opus est, animi vires et propensiones insignis esse momenti ad morbos tum efficiendos tum etiam curandos. Itaque et in regenda mente et in observandis variis adfectibus ac proclivitatibus studium collocare oportet et operam. Hinc praecipue studendum est, ut ipse medicus dignitate,

comitate, doctrina, εὐσεπίᾳ ceterisque virtutibus aegro placeat, fiduciamque ipſius obtineat. Dein neceſſe eſt, et eos, qui adſtant, et ceteras res, quae aegrum ambiunt, ni iucundo modo aegrum adficere poſſint, ingrato ſaltem nequaquam modo in eum agere. Denique et adfectus vel excitandi ſunt, a quibus ſalus ſperanda, vel mitigandi, ſi qui damnum adferre videntur.

CAP. VIII.

DE INDICATIONUM DIFFERENTIA GENERALI.

67.

Cum triplici modo ſe vita manifeſtet: reproductione, irritabilitate et vi ſenſifera (*inſt. phyſ.* §. 58 — 61.); cum morborum ſedes primaria in ſyſtematibus, earum vitae manifeſtationum focis, quaeratur, (*inſt. path. gen.* §. 31.) poſſunt omnino curationum conſilia generatim dividi, prout haec vel illa functio primaria proxime laborat: licet haudquaquam negemus, in morbis concretis functionum earum laeſiones intime nexas eſſe et quaſi confuſas.

Quodſi igitur, diagnoſi abſoluta, cognoſcimus mutatam corporis indolem, ceu indicans (§. 49.):

ut id perfectum evadat, inquirendum eſt, cui ſyſtemati adnumeranda ſit pars praeter naturam adfecta, aut quodnam momentum, ſeu quaenam functio eius partis primitus correpta ſit; quomodo per eam adfectionem reliqua momenta mutata ſint, aut quanam ratione aliae functiones laborent. Eo examine rite perfecto, videndum, indicans primarium inconcuſſum maneat, quoniam omnia rite ſecum congruant, an mutetur aliarum functionum qualitatibus diverſis. Sic qui ulcerationem partes late exedentem curaturus eſt, ſedem quidem in ſyſtemate reproductivo cognoſcit, ſed neceſſe eſt ſimul irritabilitatis et vis ſenſiferae rationes circumſpiciat, ut indicans rite finiatur et determinetur.

I.

Indicationes in morbis functionis reproductivae.

68.

Cum vita vegetativa formatione potiſſimum, incremento, ſecretione et regeneratione partium amiſſarum manifeſtetur (*inſt. phyſ.* §. 81. ſ.); primaria autem cauſſa formationis typo univerſalis vitae, in quovis corpore alii, tribuenda ſit (*ib.* §. 18. 19.); formationum vitia e typi defectu aut deflexu a norma univerſali proficiſcuntur. (*inſt. pathol. gen.* §. 101.)

§. 101.) Itaque et lex generalis et consilium curationis versantur in mutando eo typo, ut redeat ad normam. Id autem, cum typus partium conformationem adiacentium sequatur, sine harum restitutione fieri nequit. Cum vero in secretionibus, ad formationem necessariis, vis sensiferae efficacia in animalibus perfectioribus exigatur, (*inst. phys.* §. 247.); typi mutatio, si qua arte perficitur, redit fere ad moderamen vis sensiferae, ne depressa sit, neve modum excedat. Quibus accedit aequabilis rationis, quae appositionem intercedit ablationemque, idonea restitutio (*inst. phys.* §. 80. 81.), quae humorum rerumque earum, e quibus partes formantur, mutationem poscit.

69.

Quibus positis, sequentes potissimae curationum regulae in morbis a reproductione vitiata ortis patent:

1. Restituantur partium adfectarum positus, cohaerentia et continuitas normales; ut typus inde pendens iterum in integrum redeat.

2. Vis sensiferae abnormitates, inaequabilis praeprimis distributio corrigendae sunt, ut secretiones ad normam redeant.

3. Humorum indoles ita emendanda, ut peregrina, si quae adsunt, amoveantur: miasmatum autem

et contagiorum evolutio, nutritioni et reproductioni vel maxime infesta, impedienda est aut moderanda. Raro id proxime fit, e. g. in infectione syphilitica (*inst. pharmac.* §. 314.), et in contagio febrium malignarum (*ib.* §. 259. 264.); plerumque miasmata ea et contagia aliter mutari nequeunt, quam curatione morbi ipsius idonea.

II.

Indicationes in morbis irritabilitatis.

70.

Cum irritabilitas, seu vis contractiones alternans et expansiones, antithesibus nitatur, materialis etiam eius conditio sit polarium elementorum lucta (*inst. phys.* §. 59.); antithesium abnormium restitutio polariumque elementorum moderatio summam totius curationis complectuntur. Cum vero nec polaria elementa mutari nec debita restitui ratio absque reproductione emendata possint; nec irritabilitas in corpore animali sine vis sensiferae sit efficacia (*inst. phys.* §. 314.); luculenter patet, et huius abnormitatis curationem redire ad mutationes, quas in aliis functionibus perficere conamur.

71.

Itaque, ut antithesium ratio restituatur et motus fiant normales, sequentes regulae servandae sunt:

1. Motus ſanguinis regendus eſt, ut antitheſis arteriarum venarumque, vaſorum etiam et organorum nobiliorum ad normam redeat. Quantum enim ſanguinis appulſus ad internam neceſſariamque in fibris muſcularibus ſecretionem, quae quemvis motum comitatur, conferat, olim docuimus. (*inſt. phyſ.* §. 309. 313. 316.)

Huic regulae obedimus, cum ſanguinem vel mittimus, vel motum tardiorem acceleramus, vel in alia loca dirigimus. Quae quidem acceleratio motus et directio abnormitatum eius vel proxime fit, vel nervorum arteriis providentium ea mutatione, ut, ſenſifero momento minuto, energia evocetur.

2. Nutritio regenda eſt et ad normam reducenda, ut ſecretio idonea in fibris muſcularibus et congrua antitheſis conſequatur. Itaque in atonia fibrae muſcularis pariter ac in ſpaſmis alimenta digeſtu facilia eaque remedia exiguntur, quae digeſtioni favent.

3. Peregrina omnia, quae polarium elementorum rationem turbant, aër depravatus, humores corrupti, miaſmata et contagia, vel amovenda atque arcenda ſunt, vel ita moderanda, ut irritabilitatem offendere nequeant.

4. Magnopere autem refert, in momentum ſenſiferum irritabilium partium primitus agere, ut laeſa ratio eius ad alterum momentum corrigatur, normaE 2

lis autem antithefium ratio reftituatur. Id plerumque fit fpecificis remediis, quae ufus probavit.

III.

Indicationes in morbis vis fenfiferae.

72.

Cum vis fenfifera et perceptionibus variarum rerum externarum et dominatione, quam in motus et fecretiones exercet, unitatem exprimat; abnormitates eius complectuntur fere unitatis, feu vis eius defectum, cuius ope varios rerum externarum impulfus nobiscum iungimus ac in nos recipimus; cuius adminiculo nosmetipfos unum effe ac conftans fentimus libereque agimus; cuius demum auxilio motus et fecretiones ad typum eumdem praeftitutum perficimus. (*inft. phyf.* §. 88. *f.* *inft. path. fpec.* §. 552. *f.*)

73.

Quodfi igitur vis nerveae abnormitatibus mederi cupimus, regulae fequentes obfervandae funt:

1. Inquirendum eft, irritabile an fenfiferum momentum huius vis primitus laefum fit, et quanam ratione? Scimus enim, debilitato irritabili

momento, increſcere turbarique ſenſiferum (*inſt. path. gen.* §. 52.), remediaque plura ita agere, ut vel ſuſcitato momento irritabili ſenſiferum vis nerveae momentum debilitent, vel ſuſcitato hoc illud deprimant.

2. Ubi inaequabilis diſtributio, maxime organici ſenſus, in gangliorum ſyſtemate adeſt, quae plerumque conſumtionem impeditam ut cauſſam agnoſcit (*inſt. path. gen.* §. 58. 61.); aperiendae ſunt viae, quibus eliminari abundans imponderabilium copia poſſit. Cum nutritio quoque eo valeat, ut rite adhibeatur et conſumatur vis nervea, in diuturnis morbis magnopere intereſt, alimentis idoneis, motu corporis et aëris ſalubris uſu nutritionem promovere.

3. Quodſi vires perfectiores ſyſtematis ſenſiferi patiuntur, primum ratio inter eas et organicum ſenſum eſt reſtituenda, a cuius laeſione plures ſaltem, ni plerique mentis morbi pendent. (*inſt. path. gen.* §. 287.) Itaque turbis organici ſenſus ſopitis, ſenſus altiores et interni ſaepe iterum revaleſcunt.

4. Cum reproductio, licet vi ſenſifera regatur, iterum in eam reagat, atque vel nervorum nutritione locali manifeſtetur (*inſt. phyſ.* §. 362.); in omnibus eiusmodi morbis graviſſima eſt motus ſanguinis et humorum, ſecretionis etiam moderatio. Hinc quoque ad periodos evolutionis conſilium eſt trans-

ferendum, in quibus utplurimum vis nerveae dispensatio turbatur. (*inst. path. gen.* §. 37.)

5. Denique earum rerum, quae mentem proxime adficiunt, ratio est habenda. Animi perturbationes nimiaque intentio, quibus mentis morbi efficiuntur, regendae sunt ac moderandae, ut ad bonam frugem mens ducatur.

74.

Id quidem generale indicationum discrimen quamlibet verum sit, neutiquam tamen normam dividendae doctrinae huius praebet. Namque conspiratio functionum omnium in quovis organo id impedit. (*inst. path. gen.* §. 31.) Accedit etiam, plura superesse curationis consilia, his quidem quodammodo comprehensa, quae vero seorsim tractata usu praestant. Denique et remedia huic normae nequaquam apta sunt, cum lubrica esse probaverimus ac arbitraria plura, quae de polarium elementorum in remediis obviorum ratione ad polaria organorum elementa proferantur. (*inst. pharmacol.* §. 7. 8.)

75.

Itaque curationis consilia satius est ad effectus dividere, quae sub sensus cadunt. Ea enim divisio ut tutior est ceteris, quia in manifestis versatur, ita et a repetitionibus aliena est. Dividendas autem

eſſe curationes reor, prout effectus in ſolidis partibus aut in fluidis ſimul conſpicui ſunt. Solidae curationem tum demum poſcunt, cum in vivo corpore ſtatuuntur: namque vitae expertia corpora curari nequeunt. Itaque ſi cohaerentiam partium ſolidarum augere conamur aut minuere, id proprio ſenſu curatio nuncupari nequit, ſed praeparatio ad curationem; niſi ſtatueris, in vivo corpore has mutationes aliter tamen fieri ac in eo, quod vitae expers eſt. Curationes autem, quae humores complectuntur, ſimpliciter eos comprehendere nequeunt, ſed, cum pendeant humorum morbi a ſolidarum partium vitiata indole; (*inſt. path. gen.* §. 47.) haec etiam curationibus noſtris mutatur, cum in humores agimus.

76.

Conſpectus curationum ſingularum hic eſt:

Sect. I. Cohaerentia ſolidarum partium mutanda.

1. Cohaerentia augenda. Methodus adſtringens.
2. Cohaerentia minuenda. Methodus molliens, humectans.

Sect. II. Vires vitales mutandae.

1. Efficientia ipſa augenda. Methodus roborans, tonica.

2. Receptivitas augenda. Methodus incitans.
3. Ratio virium atque directio vi penitus mutanda. Methodus metasyncritica.
4. Inaequabilis vis sensiferae dispensatio moderanda: nimia intentio minuenda. Methodus sedans, anodyna, antispastica.
5. Caloris vis minuenda. Methodus antiphlogistica.

Sect. III. Humorum mutanda vel copia vel indoles.

1. Directio humorum mutanda. Methodus derivans, revellens, antagonistica, consensualis.
2. Motus sanguinis humorumque accelerandus. Methodus resolvens. Absorbtio promovenda.
3. Methodus evacuans.
   a. Sanguinem. De sanguinis missione.
   b. Sordes primarum viarum.
      α. Mutatio earum chemica aut organica.
      β. De vomitu ciendo.
      γ. De alvo laxanda et purganda.
   c. Urinam. Methodus diuretica.
   d. Sudores. Methodus diaphoretica.
   e. De sputis promovendis.
4. De humorum cursibus praeternaturalibus compescendis aut regendis.
5. De secretionum correctione. Acrimonia compescenda; putredo avertenda. Suppuratio moderanda.

Sect. IV. De euthanasia promovenda.



PARS SPECIALIS.

SECT. I.

DE COHAERENTIA PARTIUM SOLIDARUM MUTANDA.

CAP. I.

DE METHODO ADSTRINGENTE.

a. Modus agendi.

77.

Adſtringitur pars ſolida, ſi particulis coactis cohaerentia augetur et vis reſiliens, quam elaſticitatem vocamus; quod ſine expulſione fluidarum particularum, quae forte inſunt, contingere nequit. Itaque et ſiccantur ſolida adſtricta et ſeceſſus particularum

remotiorum prohibetur, et putredo arcetur et vis resistendi roburque augetur. Id autem vulgo in corio accidit, quod densare ope corticum adstringentium, principio coriario praegnantium ita consuescunt, ut hoc principium gelatinam animalem pracipitet et cogat. (*inst. pharmac.* §. 189.) Ea autem actio mere physica statui omnino potest in corpore animali, si duntaxat primariam eam nec solam intelligimus: mutatur vero effectus adstringentium vi partium vitali, consensu ac conspiratione.

78.

Constrictionem partium solidarum vi vitali modificari, vel inde patet, quod in remota agat loca: quae proxime attingere nequeunt remedia adhibita, quia nequaquam probabile est, sanguinis massam permeare posse haud mutata; quia saepe brevissimo temporis spatio haec actio in remotas partes perficitur; quia denique vel minima eorum remediorum copia sufficit ad effectus in dissitis locis producendos. Itaque nil superest, nisi actionem primariam consensu partium cum remotis locis communicatam statuere. Unde patet, vires vitales omnino hac curandi ratione mutari.

79.

Iam vero, qualis sit ea mutatio, inquirendum est. Cum cohaerentia partium idonea exigatur ad

robur actionum et facultatem resistendi, robur vis vitalis ipsum augeri adstrictione, si laxae essent partes, manifestum est, (*inst. path. gen.* §. 53.) Itaque adminiculum insigne roboranti et tonicae methodo praebet adstringens, quod et natura ipsa docuit, cum in valentissimis remediis tonicis, corticis exemplo peruviani, particulas adstringentes cum extractivis amaris aliis roborantibus coniunxerit.

Neque tamen sine limitibus est hic effectus. Quodsi enim partes, cohaerentia idonea conspicuae, magis constringuntur, necesse est, mobilitas partium amittatur, rationi fluidorum debitae ad solida elementa tribuenda: unde solet obrigescere pars, haud facile stimulis obtemperare et immobilis fieri. Hinc abusus adstringentis methodi patet.

Quodsi cohaerentia quidem minor est, sed tensae simul partes, facile elucet, robur amissum aegre restitui adstrictione, sed augeri potius tensionem, sollicitari magis etiam vim iam excitatam atque morbosum statum increscere. Cum vero, ut fieri consuescit, tensa hac parte aliae relaxatae sunt et flaccidae, propter inaequabilem virium dispensationem, utilis adstrictio esse potest, dummodo caute adhibeatur, seduloque eligantur ea artis praesidia, quae sine noxa cogere partes possunt.

80.

Actio adſtringentis methodi in fluidas partes e ſolidarum mutatione proficiſcitur. Cogitur quidem gelatina; ſed plures oriuntur effectus, e robore aucto explicandi. Cruor rubore increſcit, quod ex aucta vaſorum vi et reactione in ſanguinem exponitur. Putredo arcetur, tum ob eamdem cauſſam, tum quia cogitur gelatina.

Motus etiam humorum mutantur. Quodſi enim laxatis vaſis tardior contingit motus et ſtaſes adſunt, hae ſolvuntur, motus acceleratur, tumores glandularum discutiuntur. Si ex eadem cauſſa profluvia adſunt, haec reprimuntur: ſi curſus naturales ſuppreſſi, iidem reſtituuntur.

b. *Indicantia.*

81.

Itaque adſtringens methodus generatim quidem indicatur a laxitate, ſeu cohaerentiae eo defectu, qui cum nulla vi reſiliendi, cum ſenſu torpido, irritabilitate minuta et motibus languidis iunctus eſt.

Teneritas fibrae autem tum deinum adſtringentem exigit methodum, cum recens forte eſt et congeſtionibus paſſivis feroſis ſtipata. Angina ſeroſa cum uvulae tumore oedematoſo curatur ope aluminis: zinco ſulfurico hernia humoralis. Dein etiam in

ipsis congestionibus cum teneritate et doloribus iunctis prodest haec curatio, dummodo dilatata sunt vasa et humores in telam cellularem effusi.

82.

Ut in singula abeamus, vitia praeprimis organica requirunt hanc methodum: luxationes maxime, a laxitate articulorum manticulaeque natae (*inst. path. gen.* §. 213.); procidentia ani et vaginae, eidem caussae tribuenda (*ib.* §. 222. 223.); herniae etiam, quae aetate infantili, victu molliori, deside et debilitante contrahuntur. (*ib.* §. 224.) Deinde aneurysmata et varices caussis laxantibus tribuendae (*ib.* §. 204. 205.) saepe adstringentibus topicis vincuntur.

83.

Congestiones passivae, profluviis praesertim et tumoribus manifestatae et ruptis etiam vasis stipatae, requirunt adstringentia, maxime si a caussis externis aut a laxitate diuturna originem ducunt. Sanguinis profusio post evulsum dentem: metrorrhagia, qua mulier conflictatur, diu iam blennorrhoeam perpessa: blennorrhoea ipsa muliebris, cum torpore et laxitate partium iuncta: blennorrhoea virilis secundaria, quae e solo glandularum et fossae navicularis torpore nascitur: alvi profluvium diuturnum colliquativum, ipsaque dysenteria chronica, dolorum

vehementium expers: ptyalifmus, hydrargyrofin excipiens, rebellis, aut laxitati foli tribuendus: lippitudo fcrofulofa, ipfeque diabetes, fi torporem renum, ut cauffam, agnofcit: haec vitia adftringente methodo debellantur.

84.

Inflammationes diuturnae, paffivae, glandulas praeprimis infeftantes et a vitio fcrofulofo ortae aut a fcorbuto, feliciter faepe adftringentibus fugantur; ophthalmiae glandulofae exemplo. Ulcera fcrofulofa, fcorbutica, ex hydrargyrofi nata, omniaque, quae torpidis, flaccidis marginibus, tumoribus fungofis et oedematibus ftipata funt, adftringentium ufui cedunt aut faltem pus benignum concipiunt. Exanthemata chronica, impetigines, lichenes, pityriafis, nonnunquam exigunt hanc curationem, fi cutis pravitas e torpore diuturno et laxitate nafcitur. Sphacelus ipfe partialis, fi partes vicinae doloris expertes funt et torpor fenfiferae vis praeprimis accufari poteft, nonnunquam adftringentibus utiliter curatur.

c. *Contraindicantia.*

85.

Prohibetur adftringens curatio provecta aetate et in fenium proclivi, quae cum rigiditatem par-

tium adferat, haec etiam magis adſtringentibus remediis promovetur. Hinc in arthritica ſenum dispoſitione vel cautiſſime utendum vel plane abſtinendum eſt remediis, ſtomacho robur adſtrictione addituris.

Nocent adſtringentia in infarctibus aut ſtaſibus inveteratis, quae vel iam in longum tempus porrectae ſunt, vel congeſtionibus ſtipantur. Tum enim humores diu ſtagnantes in corruptionem proni ſunt, quae adſtringentibus, dum irritant, augetur: tum obrigeſcere etiam ſolent vaſa, quae diutius iam ſtaſes perpeſſa ſunt.

86.

Adverſa ſunt generatim adſtringenti methodo teneritas partium, tenſa indoles, dolores et ſpaſtici adfectus In ſtatu crudo morborum acutorum, etiam profluviorum, nunquam adhibenda eſt, cum nimia irritatio et manifeſti nonnunquam ſtimuli prohibeant. Removendi ſunt prius ſtimuli materiales, quam ad hanc curationem veniamus. Ubicunque cum ſtaſibus et torpore vaſorum abdominalium hyſterica mobilitas et ſpaſmi iunguntur, vel cautiſſime adhibenda vel plane vitanda eſt haec methodus. Inflammatio quaevis, doloribus ſtipata et tenſa partium indole nunquam indicat hanc curationem: nec ulcera, febre hectica forte iuncta, aut marginibus tenſis, do-

lentibus cincta, aut, quae iam habitualia facta, organa ſiſtunt depuratoria, quibus eliminatur quidquid in corpore remanens offendere illud poſſit. Ex eiusmodi ulceribus praepoſtere ſiccatis damnorum inſignium caterva ſaepenumero obſervata fuit.

87.

Profluvia omnia et congeſtiones, quae orgaſmo univerſali aut febre cientur vel ſervantur, adſtringentem methodum vetant. Nil enim niſi maior et valde noxia inde irritatio contingit: hinc probe cavendum eſt ab hac curatione, quoties dyſenteriam aut metrorrhagiam etiam febris comitatur. Sedulo igitur inquirendum eſt in ſtatum corporis univerſalem, ut, ſi qui adfuerint ſtimuli, hi amoveantur, ſi febris, huic opponenda idonea methodus, donec tempeſtivum ſit, ad hanc confugere curationem.

d. *Indicata.*

88.

Quae ad perficiendam hanc curationem requiruntur, varia ſunt; graviſſimumque eſt praeceptum, delectum inſtituendum eſſe adſtringentium cautiſſimum: ubi enim proſunt acida, ibi nonnunquam obſunt vegetabilia adſtringentia; ubi prodeſt aqua calcis, ibi nocent nonnunquam ſaturnina. Adſtringentia autem dividi commode poſſunt in ea, quae modo

modo mere mechanico, atque ea, quae phyſico-organico aut etiam chemico-dynamico modo agunt.

89.

Mere mechanicis adminiculis primum accenſenda eſt compreſſio, ope faſciarum tortilium, quas torcularia appellant; mantelium etiam, linamentorum carptorum, ellychniorum, turundarum, glomorum, ſpleniorum, pannorum gradatorum, quibus ſubinde laminae plumbeae ſeu monetae cupreae adduntur, ut magis etiam comprimant. Notiſſimum eſt, aneuryſmata ſaepius curari vel faſciis tortilibus, vel compreſſione diuturna ope laminae plumbeae: varices etiam, quae a debilitate venarum naſcuntur, cedere involutioni arctae, diu ſervandae. Vulgatiſſimus eſt περιζωμάτων, quibus pila aut pulvillus adſuitur, uſus in herniis inguinalibus, ut, repoſitis, quae provoluta ſunt, annulus abdominalis comprimatur. Faſcias arcte membra involventes merito commendant in oedematibus et plagarum contuſionumque ſequelis, quae ecchymoma aut transfuſos in telam cellularem humores excipiunt. Ulcera oedematoſa, ipſaque fiſtuloſa faſciis involventibus probe adſtrictis curantur, cum parietes fiſtularum ſemet continuo tangentes tandem concreſcant. Quinctiam ulcera diuturna, flaccida, in pedibus praeprimis obvia, vel faſciis arcte involventibus, lamina etiam plumbea addita, vel tibialibus arcte conſtringendis

optime curantur: et Bayntonii methodus, ulcera inveterata emplaſtris adhaeſivis tractandi, uſum praeprimis e compreſſione diuturna derivat.

90.

Aliud, et mechanicum quidem adminiculum eſt *frictio*, quae non cohaerentiam ſolam mutat, ſed blanda etiam agitatione nervos partesque vivas ſollicitat. Hinc veteres maximi fecerunt frictiones. Sic Hippocraticus iam auctor (*de diaeta*, lib. 2. p. 364.) frictionem ait carnes firmare, ideoque augere, *ὅτι τὰ μὲν στερεὰ φύσει τριβόμενα συνίστησι, τὰ δὲ κοῖλα αὔξεται.* Et Aſclepiades, maximus huius methodi laudator, utendum eſſe frictione praecepit, cum adſtringendum ſit corpus hebes, aut molliendum, quod induruit, aut digerendum in eo, quod copia nocet, aut alendum id, quod tenue et infirmum ſit. (*Celſ.* 2, 14.) Optime addit Celſus, frictionem nunquam imperandam eſſe febre increſcente, ſed cum ex toto corpus ea vacabit: membra autem reſoluta egregia hac methodo firmari. Namque et vaſorum capillarium et nervorum vires hac agitatione ita cientur, ut et ſenſus et nutritio redire poſſint. Hinc in oedematibus, tumoribus rheumaticis et incipiente nervorum reſolutione frictiones utiles ſunt, *μάλιστα διὰ φαρμάκων θερμαινόντων*, (*Galen.*), quod *medicamenta per ſtrigilem inſtillare* vocabat Celſus. Noſtrates ad id aquam colonien-

ſem, ſpiritum vini, ſpiritum ſerpylli, mixturam etiam vulnerariam acidam adhibere ſolent.

91.

Praeſtantiſſimum remedium adſtringens praebet frigus, vel aëris, vel aquae, vel etiam glacie ipſa et nive admovendum. Cohaerentiam frigore, momentumque irritabile augeri, ſenſiferam vero vim minui, probavimus. (*inſt. path. gen.* §. 126.) Itaque in initio febrium acutarum, maxime malignarum, typhi et ſcarlatinae, dum ſenſifera vis inaequabiliter distributa et magnopere incitata eſt, debilitata autem energia, aër frigidus, ipſaque aqua frigida inſignem uſum praeſtant. Balnea frigida caute adhibita diuturnam cutis debilitatem curare, tonumque partium augere valent. Frictio etiam nive aut glacie perpetrata vim partium algore emortuarum reſtituit. Sed facile perſpicitur, quot quantaque ex incauto frigoris uſu damna naſci poſſint, cum non ſolum contractio irregularis et nimia, ſed irreparabilis etiam vis ſenſiferae proſtratio inde producatur. Itaque ratio utriusque momenti vis vitalis probe noſcenda eſt, priusquam hac methodo utamur.

92.

Quaenam ſit plantarum adſtringentium actio, alibi (*inſt. pharmac.* §. 189 — 192.) expoſuimus. Ex iis pura (*ib.* §. 193.) magis externe, amaro

adſtringentia autem, ſeu quae balſamica ſimul ſunt, interno uſui aptiſſima ſunt: quod pars extractiva amara cum oleo adiuncto aethereo ſimul incitat et ſtomachum viresque digeſtionis firmat. His igitur inſignes tribuendae ſunt laudes in curandis morbis, qui et a torpore ventriculi et a laxitate inteſtinorum et ab ipſa colluvie pituitoſa naſcuntur: unde et in lithiaſi nonnulla eorum utilia ſunt. (*inſtit. pharm.* §. 221.)

93.

Spirituoſa adſtringere alibi (*inſt. pharm.* §. 252.) monuimus. Is autem effectus, irritatione ſemper iunctus, ab hac potius pendere videtur. Ad internum uſum minus idonea ſunt, quam ut loca externa quaſſata, contuſa aut e luxatione laxata irritentur et conſtringantur. Spiritus aetherei cito avolantes, dum inſignem caloris partem abripiunt, valide refrigerant, et externas partes, hernias inprimis, contrahunt. (*inſt. pharm.* §. 253.)

94.

Acida, maxime mineralia, fibram contrahere, dum calorem minuant, ſupra expoſuimus. (*inſt. pharm.* §. 258.) Eorum autem uſus latiſſime patet, tum in acutis morbis, tum in diuturnis, ut non ſolum cohaerentia augeatur, ſed ut vires etiam refocillentur et aequabiliter distribuantur.

95.

Calcaria uſta, ſeu aqua calcis, attracto repente acido carbonico contrahere fibram videtur, hinc in colluvie pituitoſa irritando agit et egregium uſum praeſtat in diuturnis alvi profluviis et ulceribus internis. (*inſt. pharm.* §. 278.)

Alumen crudum, maxime ope acidi ſulfurici, ſed et terrae argillaceae, agit. Externe inprimis adhibitum potenter adſtringit laxas partes et profluvia ſiſtit. (*inſt. pharm.* §. 285.)

Nec ammonium muriaticum ſine levi vi adſtringente eſt, quae exſeritur praeſertim in alvi profluviis curandis, ubi ſimul ſtaſes reſolvit. (*inſt. pharm.* §. 288.)

96.

In metallis plumbo praeſtantiſſima eſt vis adſtringens, quae vero externe tantummodo tuta eſt. (*inſt. pharm.* §. 339 — 341.) Zinci oxydum (*inſt. pharm.* §. 343.), cuprum ſulfuricum (*ib.* §. 347.), ferrum oxydatum fuſcum (*ib.* §. 361.), peculiaribus ſingula gaudent viribus, quas ſuo loco indigitavimus.

97.

Sed praeprimis victus ratio eſt circumſpicienda, ut faveas methodo. Iuſculis, potibus aquoſis, fruc-

tibus horaeis interdicendum eſt: imperandae carnes, fructus ſicci, panis toſtus, vina generoſa, maxime rubrum Búrdigalenſe. Veteres etiam ſudores evocare conſuerunt, non per exercitationem tantum, quae utique fructuoſa eſt, ſed etiam in arena calida, vel laconico vel clibano, ſimilibusque aliis. Maxime utiles praedicat Celſus (lib. 3, c. 21.) ſiccas ſudationes, quales ſuper Baias in myrtetis habebantur. Balnea frigida caute adhibenda: tepida plane prohibenda ſunt.

Cap. II.

DE METHODO MOLLIENTE ET HUMECTANTE.

a. *Modus agendi.*

98.

Ut motuum ad vitam neceſſariorum ratio cohaerentiae defectu patitur, ita nimia cohaerentia et ſolidarum partium et fluidarum, quam rigiditatem dicunt in illis, tenacitatem aut ſpiſſitudinem in his, contrario modo facilitati motuum obeſt. Ut molliatur igitur, quod obduruit, et humectetur, quod propter ſiccitatem aut tenſam indolem humorum defectu laborat, conſilium eſt curationis ſaepe perquam neceſſarium, cuius ſumma fere eſt, humidarum par-

ticularum copiam augere, ut nimia cohaerentia minuatur. Quod ingeſtis in corpus humoribus fieri etiamſi generatim ſtatuendum ſit, modus tamen agendi paullo altius repetendus eſt.

99.

Primum autem fatemur quidem, actionem humectantium rerum et mollientium vel maxime localem eſſe, atque in penetralia ipſa corporis, in vaſa praeſertim haud facile, qualia ſunt, abire. Mutantur enim omnia, quae in corpus animale ingeruntur. (*inſt. phyſ.* §. 78.) Neque tamen neganda eſt mollientium et humectantium rerum actio in disſitas partes, quam vel e conſenſu generatim exponimus, vel ex amotis impedimentis, quae circuitui libero et ſecretionibus a tenſis, ſiccis et duris partibus opponebantur.

Hinc ſecundum etiam praeceptum lucem accipit. Quodſi enim ſolam relaxationem nobis proponimus, haec et alias curationes ſequitur, et ipſo morbi acuti decurſu adfertur. Si relaxandae ſunt partes, ad virium rationem ſemper conſilium eſt transferendum: namque inflammatae, ſi rigiditate laborant aut tenſa indole, optime methodo antiphlogiſtica relaxantur; ſpaſmis tenſae partes methodo antiſpaſtica et ſedante. Nonnunquam ipſa irritantia, quae durarum partium vires ſenſiferas ſuſcitant,

magnopere utiles ſunt ad duritiem molliendam lubricandasque partes adfectas.

100.

Optime igitur agit haec methodus, ſi remedia indicata, ſuscepta in organa digeſtioni dicata, aut in cutem, vires vivas ſalubriter mutant, ut et ſecretiones et abſorbtiones reſtituantur et rite peragantur. Namque aqua in corpus ingeſta, per ſe quidem nec humectat partes nec mollit, priusquam, mutata virium ratione, perſpirationem cutaneam promoverit. Hinc et eá, quae magis adhaerent partibus aut facilius ſemet inſinuant, melius humectant et molliunt ſolà aquà: quo pertinent mucilagines, ſaccharum et quae id habent.

b. *Indicantia.*

101.

Indicatur haec methodus protinus duritie partium et rigiditate. Quo vitio cum ſpiſſitudo humorum producatur (*inſt. path. gen.* §. 88.), motuum autem ſenſuumque tarditas ſequatur; liquet, in melancholico morbo et articulorum rigiditate, quae vel a ſenio eſt vel a topicis cauſſis, hanc methodum praeprimis locum obtinere.

Eidem vitio adfinis eſt ſiccitas aut muci naturalis defectus, quo inteſtina praeſertim in ſenibus la-

borant, unde diuturna alvi obſtipatio ſequi ſolet. Alvus clyſmatibus eluitur, ut huic indicationi ſatisfiat.

102.

Tenſio fibrarum, vis ſenſiferae nimia incitatio, aut inaequabilis distributio; dolores et ſpaſmi, mollientem indicant et relaxantem methodum, quoniam, aucta fluidarum partium copia et apertis oſcillis, quibus abundantia humorum educitur, nimia virium intentio aut inaequabilis distributio ceſſat. (*path. gen.* §. 30.) Hinc in incremento morborum acutorum et ad praeparandas criſes magnopere prodeſt humectans methodus et molliens. Satius eſt, curationis conſilium ab hoc aegrorum ſtatu petere, qui exploratus eſt et ſub ſenſus cadit, quam a latentibus rebus, quarum opinatio ſaepe ſcholae duntaxat eſt momentum. Quam regulam in curandis morbis acutis qui ſequuntur, Hippocratici medici dicuntur, quod Coi ſenis praeclara praecepta, tum in aphoriſmis, tum in libro de victu acutorum in eo curationis conſilio inculcando praeprimis verſantur. Hac methodo ſaluberrima reſtituta, poſtquam conſilia ſcholarum, ad opinationes efficta, mortales plurimos enecaſſent, Sydenhamus immortalem gloriam nactus eſt: nec iuſtis encomiis deſtituendus noſtra aetate Stieglitzius, qui eamdem methodum cum antiphlogiſtica iunctam, ut ſumme fructuoſam in febre ſcarlatina commendavit.

Itaque et calor nimius ſiccus, et ſitis intenſa et perſpirationis defectus in febribus acutis tam graviter indicant methodum humectantem et relaxantem, ut nulli alii conſilio prius obediendum ſit. In morbis pectoris ad ſputa promovenda utiliſſima eſt, ſi modo caute adhibetur.

Utilis eadem methodus eſt in adfectibus nervoſis et ſpaſticis ἀπυρέτοις: tetani ipſius exemplo, qui ſolis ſaepe balneis tepidis tollitur.

103.

Praeter haec indicantia, e partium ſolidarum indole petita, exigitur etiam haec methodus, dum ſaburra inteſtinorum nimis tenax eſt et dura, quae quidem indoles cum rigiditate inteſtinorum cohaerere ſolet aut cum ſpaſtica eorum conſtrictione.

Denique et acrimonia humorum ſecretorum, oxyda metallorum ingeſta, variaque acria et venena ipſa, quae turbas in inteſtinis excitant eaque conſtringunt, mollientem indicant et humectantem methodum.

c. *Contraindicantia.*

104.

Etſi utiliſſima haec methodus, poteſt tamen in abuſum verti, dum, neglecto eo, quod virium

vitalium vitium eſt, ſoli huic relaxationi fibrae acquieſcimus. Saepiſſime enim muſculi, quorum compages omnino laxa eſt, vis ſenſiferae tamen accumulatione et perturbatione tam vehementer ſtringuntur, ut obrigeſcere videantur: molliens tamen et lubricans methodus irrita eſt, ni adiungantur ea, quae ſedare tumultus vis ſenſiferae poſſunt. Id et de nervorum diſtentionibus valet, quae ad febres accedunt, et de ſpaſmis ac convulſionibus *ἀπυρέτοις*.

105.

Fallitur, qui, ubicunque ſtrictae ſunt fibrae, relaxandas eſſe easdem arbitratur. Cauſſis potius obviam eundum eſt, quae cum ſint ſaepe materiales, acria et venena, haec potius educenda ſunt, quam involvenda: ſic ſatius eſt plumbi oxyda reducere calcaria ſulfurata aut kali ſulfurato, quam olea iugiter ingerere: ſic lactis, quamlibet utilis, ingeſtio poſt vorata venena poſtponenda tamen iis rebus eſt, quae noxiam venenorum indolem mitigare ac ea educere valent.

106.

Interdum quoque calor nimius et adſtrictio partium ſalubris aliquid adfert: vis enim ſenſiferae incitatio criſes moliri poteſt. Cui ſi relaxantem methodum adſiduo opponimus, impeditur ſaluberrima naturae via, qua morbos ad finem perducere ſolet.

Accedit, quod laxitas nimia, quae hanc ſequitur methodum continuo adhibitam, plurium morborum fons ſit et apotherapiam impediat. Itaque lubricantia et humectantia, quae ingeruntur, cautiſſime adhibenda ſunt, maxime in pectoris adfectibus, quos levant quidem, ſputis promotis; ſed, ſi ſolis iis inhaeremus, diuturna ſaepius laxitas viarum aëriferarum inde ſequitur. Noxius etiam potius quam utilis uſus lubricantium continuatus in primarum viarum adfectibus, ubi, laxatis partibus ſolidis, ſaburra, quam ſolvere eo curationis conſilio ſtudemus, etiam magis augetur.

Accedit, ſenes facilius ferre ſtrictam quamdam partium indolem, aetati congruam, quam laxitatem, quae torpori ſenſuum motuumque favet. Itaque et hi circumſpectiſſime hoc conſilio curandi ſunt.

107.

Si quis ex informatione morbi cuiusdam univerſim efficta, tollendam eſſe ſtrictam fibrarum indolem, crediderit, ſaepe magnopere errat. Inflammationes enim, quas vulgus mollientibus ſolet tractare et lubricantibus, nonnunquam, ſi paſſivae ſunt et diuturnae (*path. ſpec.* §. 148. 149.), irritantibus potius et ipſis adſtringentibus melius curantur, quam molliente methodo et relaxante. Pariter et de doloribus et de ſpaſmis iudicandum, qui ſi ab inaequa-

bili vis ſenſiferae distributione pendent, interdum tonica methodo, nonnunquam etiam incitante, optime fugantur. Suppuratio inſtans, quamlibet mollientibus promoveatur, ſatius tamen eſt, ſi virium ratio id exigit, nonnunquam vaſa incitare, ut eo tutius puri parando paria ſint.

d. *Indicata.*

108.

Curationis conſilium hoc ſecuturum decet victus rationem maximi facere, quoniam, quod remediis ſaepe perfici nequit, id diaeta et bene moderatis iis, quae aegrum ambiunt, optime perpetratur.

Primum autem animi perturbationes avertendae ſunt, ne incitent corpus et huic methodo reſiſtant. Itaque animi tranquillitas et vacatio ab omnibus negotiis, quae intendere vires poſſunt, perquam neceſſaria eſt. Dein ſomno indulgeat, lectique levi tepore corporis ſuperficiem mulceat, ut perſpiratio ſervetur. Quies magnopere utilis eſt, ut molliatur corpus: iactatione enim et variis motibus augentur turbae magisque illud adſtringitur.

109.

Aëris indoles, qui aegrum circumdat, ſit tepida et humida. Quodſi fieri poteſt, vapores tepidi

adhibendi ſunt, maxime vero, dum articuli obduruerunt, aut univerſales etiam ſpaſmi urgent. Balneis his vaporariis diuturna mala, quae ex arthritide ſuperſunt, ancyloſes, nervorumque distentiones optime ſaepe debellantur. Magnopere etiam iuvat vapores ex animalibus recens mactatis adhibere, aut recens detracta pelle aegrum involvere, quali modo Lanneſium, ducem Gallorum, ſe curaſſe gloriatur Larreyus. (*Denkwürdigk.* p. 495.)

Fovendae partes, quae obduruerunt, herbis mollientibus et aromaticis coctis; ſed cavendum, ne frigeſcant fomenta in cute, ſed continuo reiterentur. His quidem abſceſſus et tumores duriſſimi molliri et ſolvi ſolent.

110.

Balneorum tepidorum, i. e., quae temperiem habent = 75° — 90° *Fahr.*, inſignis eſt uſus ad molliendas partes, tenſionem et ſpaſmos mitigandos, inaequabilem virium dispenſationem turbasque circuitus ſedandas, dolores leniendos, et perſpirationem cutaneam reſtituendam. Quodſi pulſus tardiores fiunt et molliores, dum aeger balneo utitur, ſi ſpaſticae partium ſtrictiones ceſſant, ſi caput levius ſentitur, oculi clareſcunt, dolores ſedantur; nil praeſtantius hoc remedio eſt: ſi modo tempeſtive atque rite indicatum adhibetur.

Antyllus olim tria potiſſimum indicantia balneorum tepidorum ſtatuit: convulſiones nimirum, inflammationes et duritiem partium. Optime etiam addit Agathinus, laſſitudinem, quae e nimiis laboribus naſcatur, iisdem balneis tepidis ſolvi: itaque et, qui per totum diem peregrinati ſunt, mirifice recreantur balneo. In morbis autem praeſtat iis uti, dum vis vitalis nondum penitus exſtincta eſt, cum vis ſenſiferae turbae cum ſpaſmis, febre valida, aeſtu arido et cute tenſa iunctae ſunt: maxime vero, ſi quid ex ambitu corporis repercuſſum eſt, aut ſi quid obſtat, quominus exanthemata ſudoresque critici idoneo tempore proveniant.

Si aucturi mollientem ſumus balneorum effectum, iuvat ſuffures addere aut ſaponem, cocta etiam ſemina lini aut foenugraeci vel herbas malvaceas. Quodſi vero vires ſimul erigere libet, vinum aut ſpirituoſa addimus.

Poſt balneum laborantes pannis involvi ſolent, ut ſudores prorumpant. Quod neutiquam ſemper opus eſt, cum ſaepius ad balneum accedatur, ut humectetur idque omnino irrigetur, quod immoderatius ſiccum eſt aut tenſum. Sed opus utique eſt, ut is, qui balneo uſus fuit, quieti ſemet tradat degatque in tepido aëre, ne perſpiratio ſupprimatur. Saepius enim balnea tepida eapropter nocent, quod aegri perfrixerint protinus ut e labro egrederentur.

Id remedium, quamvis utilissimum, saepe tamen inutile est aut noxium, si haud tempestive adhibetur sed in id temporis differtur, ubi iam vis vitalis prostrata est et aeger in nervorum resolutiones pronus. Nocet etiam continuatus usus, quo laxitas diuturna partium contrahitur. (*Agathin. apud Oribas. coll. lib.* 10. c. 7.)

111.

Hac deinde pertinent praeprimis mucilaginosa pura (*pharmac.* §. 22 — 25.), quae externe ad dolores leniendos, duritiem molliendam et mitigandos spasmos adhibentur; gummes etiam (*pharmac.* §. 27 — 29.); gelatinosa et albuminosa (*ib.* §. 30 s.); mel et saccharina varia (*ib.* §. 37. 39. 40. 41.); pinguia et oleosa (*ib.* §. 42. s.); sapo denique et unguenta ex oleosis et variis mollientibus conflata.

112.

Ut internae partes humectentur, alvus primum eluitur clysmatibus, quae praeter mucilaginosa etiam amara saponacea, fumariae, cardui benedicti, taraxaci, graminis herbas et radices etc. continent. Quibus continuatis pervicax saepenumero obstructio et rigiditas intestinorum optime debellatur.

Ut viae aëriferae humectentur et molliantur, vapores ex herbis mollientibus coctis per infundibulum

lum attrahuntur, qui insuper eo valent, ut vomica, si quae adfuerit, in bronchia depleatur. Infusum quoque herbarum mollientium et leniter irritantium, quae species pectorales dicuntur, bibere suademus. In his omnibus tamen cavendum a laxitate, quam diutinus eorum remediorum usus facile adfert.

SECT. II.

DE VIRIBUS VITALIBUS MUTANDIS.

CAP. III.

DE METHODO ROBORANTE.

a. *Modus agendi.*

113.

Roborans dicitur methodus, quae proxime vires firmare atque efficientiam ipsam ita augere valet, ut motibus, sensibus et ceteris functionibus quiete et naturaliter perficiendis par sit.

Quod quidem curationis consilium, ut rite intelligatur, protinus animadvertendum est, robur vis vitalis versari in eo functionum omnium exercitio, quo fit, ut finibus suis respondeant. Itaque, si stimuli externi neque nimis limitant, neque nimis

laceſſunt vim ſenſiferam; ſi haec cum efficientia ipſa naturali vinculo cohaeret, ut neutra excedat; ſi motus et automatici et arbitrarii ita perficiuntur, ut ſanitatem ſervent; ſi ſenſus nec organicus nec ſuperiores nimis vividi fuerint aut languidi, nec ullo modo hallucinantur; ſi et nutritio et ſecretiones et excretiones omnes hactenus peraguntur, ſicut norma ſecundae valetudinis id exigit, tum robur partium et totius organiſmi idoneum adeſſe ſtatuimus.

Debile autem declaramus corpus, infirmam partem, ſi quid horum omnium a norma recedit. Itaque infirmitas naſcitur ex oppreſſis viribus. (*inſt. path. gen.* §. 48.), maxime vero ex inaequabili vis ſenſiferae dispenſatione (*ib.* §. 57.). Alia etiam eſt imbecillitas vis motricis (*ib.* §. 53.), alia vis ſenſiferae (*ib.* §. 56.); alia denique vis vegetativae (*ib.* §. 61.), quarum quaevis denique in debilitatem univerſalem abire poteſt. (*ib.* §. 64. 65.)

114.

Quibus perpenſis colligitur, quam vaga ſit per ſe roborantis methodi informatio. Etenim, etiam ſi *καταχρηστικῶς* roborare dicuntur, quae impedimenta normalis virium exercitii removent, purgantium exemplo, ſanguinis miſſionis et ſedantium; longe alia tamen eſt actio earum rerum quae, dum cohaerentia fibrae vivae patitur, hac conſtricta roborant,

ac earum, quae nutritionem promovent, dum vis vegetativa peſſumdata eſt. Alio modo agunt, quae, dum ſenſifera vis ſimul depreſſa eſt, erigere vires ac ſollicitare ſolent, ac quae, dum ea vis inaequabiliter diſtributa eſt, aequabilem conductionem producunt.

115.

Quodſi igitur, neglectis iis curationibus, quae haud proxime, ſed per ambages, ut ita loquar, roborant, ipſius methodi modum agendi conſideraveris; protinus exploratum habebis, rebus iis, quae et proxime roborant, haudquaquam vi corporis aliquid addi, ſed vel partium compagem firmari, vel permanentem organis digeſtioni inſervientibus praeberi ſtimulum, quo fiat, ut, vi vegetativa idoneo modo incitata, melius corpus et nutriatur et ſemet liberet iis rebus, quae offenſurae ſunt functiones naturales. Pleraque omnino, quae proprio ſenſu roborantia dicuntur, digeſtionis vires adeo augent, ut e bono chylo ſanguis rite mixtus paretur, vires etiam vegetativas hactenus firmant, ut ſecretio, ad muſculorum actionem neceſſaria, naturaliter peragatur, conſumtio quoque ſeu ablatio adſiduam rationem ad appoſitionem ſervet. (*inſt. phyſ.* §. 80. 316.)

E quibus efficitur, quomodo differat haec methodus tum ab adſtringente tum ab incitante. Quippe illa cohaerentia ſolummodo augetur, hac vis ſen-

ſifera tantum ſollicitatur, ut vividius ſemet exſerat. Quodſi vero remedia roborantia ſimul in vim ſenſiferam agunt, *tonicorum* nomen accipiunt, quia naturalem tonum partium augere ſolent. Alia vero, his fere oppoſita, vim ſenſiferam potius deprimunt, ut per longius actionum intervallum reparatio virium promtius contingat. (*inſt. phyſ.* §. 68.)

b. *Indicantia.*

116.

Principem locum in indicantibus huius methodi meretur debilitas vera, ſeu defectus vis, qua functiones corporis rite peragantur. Eam autem adeſſe, tum ex morbi hiſtoria, tum e cauſſis remotioribus, maxime ex ingenio morbi popularis, tum denique e ſymptomatibus ſcienter ac ſtudioſe comparatis cognoſcimus. Quodſi enim ſanguinis profuſiones aut alia profluvia praeceſſerint morbum, eum a ſanguinis penuria originem ducere atque verae debilitati tribuendum eſſe perſuaſum habemus, maxime cum ſymptomata congruunt.

117.

Dein verum quidem eſt, inaequabilem vis ſenſiferae distributionem, ſicut a debilitate vera differt, ita et per ſe nequaquam hanc curationem exigere. (*inſt. path. gen.* §. 56. 57.) Quid quod

ſaepius, ſi tonica ſimul ſunt remedia, caſum habet eorum uſus, cum irregularem incitationem vis nerveae valde augere ſoleant. Neque tamen eo minus, cum fluctuationum earum fons in intemperie gangliosi ſyſtematis quaerendus ſit, roborans methodus, ſi idoneus ſit ſelectus remediorum, ſalubriter mutare gangliorum principum vim conſueſcit, ut aequabiliter iterum per nervos imponderabilia diſtribuantur. A victus etiam ratione et animi quiete ac hilaritate exſpectare licet vel aequabilem conductionem vel idoneam rationem conſumtionis et appulſus.

118.

Quodſi efficientiae ipſius imminutio cum torpore vis ſenſiferae iuncta eſt, ſolet haec, quam Brownii adſeclae debilitatem indirectam barbara voce nuncupare conſuerant, ab incitatione praegreſſa morboſa vel a fortiorum ſtimulorum actione originem ducere. (*inſt. path. gen.* §. 60.) Id autem valetudinis adverſae genus non roborantem tantum, quam late patet, methodum, ſed incitantem etiam et ſtimulantem requirit, quoniam, quae efficientiam ipſam auctura ſunt, prius agere nequeunt, quam vis ſenſiferae torpore ſublato. In apotherapia hac plerumque utendum eſt indicatione, praeſertim poſt morbos graviores malignosque, qui vim ſenſiferam magnopere adfecerunt: quanquam interdum convaleſcentes nonnullorum organorum teneritate ea ac

ſenſu eo acuto laborent, ut incitantia aegrius ferant.

119.

Vis vegetativae debilitas indicat omnino etiam roborantem methodum, ſed, cum plerumque vis ſenſifera ſero aboleatur, magis etiam incitata ſit (*inſt. path. gen.* §. 63.), cavendum eſt utplurimum a tonicis, quae proprie ita dicuntur et ab incitantis methodi connubio. Tum nutritio tum oxygenis in pulmonibus confectio promovenda eſt, tum etiam idonea ratio abſorbtionis inteſtinalis et cutaneae reſtituenda. (*path. gen.* §. 62.)

120.

Univerſalis, aequabilis, ἀπύρετος diuturnaque debilitas, omnibus organis infeſta, etiamſi per ſe in ſanitatem haudquaquam abeat, in praeceps tamen dare aegrum non ſolet, niſi maior in ſingulis organis diſcrepantia adfuerit, aut deſtructas eſſe nobiliores partes patuerit. (*inſt. path. gen.* §. 64. 65.) In illa diuturna labe palmaria eſt regula, roboranti methodo praemittere vis ſenſiferae incitationem fortiorem, febrem etiam excitare et metaſyncriſin moliri, ut tandem roborans methodus rite adhiberi poſſit.

121.

Quibus generatim decurſis patet etiam, quae morborum claſſes roborantem methodum magis vel minus exigant.

Quodſi febrium primo meminerimus, intermittentes poſcunt methodum roborantem, dum ſimplices ſunt, nec cum inflammationibus aut ſordibus biliofis compoſitae, quoniam ex atonia viſcerum et inaequabili virium conductione originem ducunt. (*path. ſpec.* §. 38.) Nec deſerenda haec methodus eſt, cum ſordes gaſtricae ex longiore febris mora naſcuntur: utique commendanda etiam in morbis febrium pedisſequis, qui ex eadem atonia et ſtaſibus abdominalibus ordiuntur. (*path. ſpec.* §. 39.) Si quis vero tumores viſcerum aliasque febrium intermittentium ſequelas reſolvente methodo adgreditur, is cauſſam eam amovere nequit.

Quod attinet ad febres remittentes, methodus haec, ſi tempeſtive adhibetur, utiliſſima eſt. Sed in popularibus morbis, maxime qui in typhum proclives ſunt, nec initium poſtulat hanc indicationem, nec is morbi ſtatus, ubi vis ſenſifera magnopere fluctuat, nec is, qui in perniciem ruere aegrum prodit. Tempeſtive confugimus ad roborantem methodum, cum imminuta energia cum minore vis ſenſiferae incitatione iuncta eſt. Itaque, ſi febris ſemet manifeſto remiſerit, fractam tamen efficien-

tiam produnt pulſas debiles, molliores, ſenſus ipſius aegroti, motuum impotentia oculorumque languor. Neceſſe eſt, abſit ſitis intenſa, abſint dolores pertinaces, ſpiritus difficultas, deliria, aeſtus internus, anxietas et trux oculorum obtutus. Convelli tamen membra, per ſe haud contrarium eſt huic curationi, niſi e ſociis ſymptomatibus inſignem vis ſenſiferae incitationem cognoveris.

122.

Praeſtantiſſimum praebet adminiculum haec methodus in curanda pravitate humorum, quae in putredinem vergit, acutus fuerit morbus ſive longus. Siquidem principem eius vitii cauſſam dicimus vis vitalis infirmitatem (*path. gen.* §. 94), quam cum pretinus nonnulla contagia producant (*ib.* §. 140.), popularium morborum contagioſorum curatio roborantibus quoque et tonicis remediis ſaepe perficitur. Quinetiam diuturni morbi, in putredinem aut aliam humorum depravationem vergentes, roborantibus tonicisque ipſis optime curantur. Probe tamen obſervandum eſt, torporem vis ſenſiferae cum efficientia deficiente adeſſe debere, ſi putredini tonicam methodum opponimus: itaque e pulſibus languidis, mollibus, exilibus, ex oculorum obtutu ſtupido, e voce tremula et clangoſa, e ſenſuum torpore, ſoporibus continuis, mentis adiaphoria, humorum denique profuſionibus per ſudores, alvum et urinam,

eum cognofcimus ftatum, qui tonica requirit. Ubi contra continuo defipit aeger aut infomnia turbatur, ubi dolores internarum partium faeviunt pulfusque funt concitati et duri, prius vis fenfiferae incitatio tollenda eft.

123.

Inflammatio quamvis per fe curatione hac potius augeatur quam minuatur, eft tamen fpecies quaedam, debilitate producta, quae in gangraenam vergit et ulcera maligna comitatur. (*path. fpec.* §. 148. 169. 180. 184.) In hac, circumfpectiffime cognita, roborans methodus unicum praebet adminiculum: maxime fi decrepitam fenectutem, cachecticum habitum, cauffas praegreffas fummopere debilitantes, dolorum abfentiam et febris validae, celerrimum progreffum gangraenae aut ulceris, viriumque proftrationem in praeceps ruentem animadvertimus. Ita etiam agendum in morbis exanthematicis, fi lividus aut niger color exanthematum, lipothymiae frequentes, pulfus exiles et languidi, pallor frigusque totius corporis exhauftas vires et vis fenfiferae torporem fignant. Inflammationes diuturnae, quae ulcera interna comitantur, tum demum hanc curationem indicant, cum febris vel nulla vel mitiffima eft, cum profufiones humorum, fopores et caloris defectus torporem vis fenfiferae produnt. In phthifi praefertim ulcerofa delectus remediorum

huc pertinentium neceſſarius eſt, cum, quae nutriunt et victus rationem complectuntur, multo tutius adhibeantur, quam quae ſimul tonica ſunt.

124.

Dolores diuturni per ſe nunquam hanc methodum poſtulant, niſi morbi iis iuncti habitum depravaverint, vires infregerint naturae et longam produxerint infirmitatem, maxime viſcerum abdominalium. Arthritici adfectus, dum atonici ſunt, nullis ſtipati activis doloribus articulorum (*path. ſpec.* §. 454.), roborante methodo optime curantur, licet etiam hic in victus ratione maior fiducia collocanda, quam in tonicorum uſu, quae ſaepe impetum humorum in organa nobilia periculoſum cient. Qui in rheumaticos dolores proni ſunt, diuturna debilitate conflictati, roborante methodo maximeque diaeta vires confirmante ſaepe liberantur.

125.

Morbi ſpaſtici roborante methodo tum demum tractantur, cum nutritionis labes, viſcerum torpor et vaſorum abdominalium ſpaſmos ſaepe recurrentes excitant. Id praeſertim in hyſtericis adfectibus contingit, qui ſedantibus quidem ad tempus leniuntur, ſed penitus fugari nequeunt, niſi vel totius corporis conſtitutio emendetur, vel viſcerum abdominalium torpor tonica methodo, praeſertim victus ratione,

amoveatur. Quid quod ipſa epilepſia, aliis omnibus remediis reſiſtens, roborantibus nonnunquam, cortice peruviano, glandibus quernis etc. fugata eſſe fertur.

126.

Profluvia ſanguinis aliorumve humorum, ſi a laxitate pendent vaſorumque torpore, ſalubriter tonicis ſimulque adſtringentibus curantur, quamvis circumſpectione opus ſit propter vim irritantem, qua ea remedia facile impetum humorum augent. Itaque e. g. in dyſenteria diuturna, poſtquam dolores ſpaſmique ſopiti fuerint, expedit confugere ad tonicam roborantemque methodum, qua penitus ſaepius debellatur.

127.

Denique et in ſtaſibus ſi a laxitate oriuntur magis confert haec methodus quam reſolvens proprie dicta, quae vires ſaepe magis infringere ſolet. Maxime vero confugiendum eſt ad hanc methodum, dum colluvies pituitoſa viſcera abdominalia infeſtat, in qua cum vermes nidulari conſueſcant, anthelminthica etiam virtute pollere roborantia patet. Quin calculi generationem avertunt, e muci coagulo utplurimum orti.

c. *Contraindicantia.*

128.

Gravissime et constanter prohibetur praestantissima haec methodus fallaci eo statu, qui ex oppressione virium nascitur. (*path. gen.* §. 48.) Is cum speciem verae debilitatis nonnunquam prae se ferat, magnopere refert, caussas praegressas, morbi historiam praesentiaque symptomata curiose comparare, ut, uter adsit status, appareat. Nonnunquam per experimenta haec comperire opus est. (§. 3.) Siquidem sordium gastricarum praesentia et turgor etiam criticus, sanguinis impetus aliorumque humorum ita vires pessumdare videntur, ut, qui rudis est in doctrina et usu, facillime decipiatur. Purgantibus nonnunquam, sanguinis missione, vomitu excitato fallax ea debilitas ocyus tollitur, quam dum roborantia exhibueris.

Quodsi quoque compertum habemus, veram adesse debilitatem, si sordes tamen simul urgent aut obstructio alvina, humorum denique impetus, haec obstacula prius removenda sunt, quam ad ipsam curationem confugeris. Actio enim medicaminum eorum impeditur colluvie humorum, facileque nocent augendo stimulos.

129.

Magni dein eſt momenti, vis ſenſiferae incitationem aut nimis inaequabilem dispenſationem, ut contraindicans huius methodi contemplari. Acceſſus febriles in ſe confluentes, calor continuus, inflammatio activa, ſpaſtica partium conſtrictio prohibent omnino hanc curationem, ni eae conditiones adſint, quas (§. 123—125.) perſtrinximus. In haemorrhoidario morbo, arthriticis, hyſtericis adfectibus, febribus continuis perquam noxius eſt roborantium effectus, quod praeſertim abuſus in Brownii ſchola docuit.

130.

Nec negligenda eſt naturae efficacia, quae ſaepe oppreſſis viribus utitur, ut ſalubre aliquid moliatur. Dolores et ſpaſmi, febres etiam interdum auxilia praeſtantiſſima ſunt ad reſtituendas vires, quibus cum roborantem oppoſueris methodum, naturae molimina turbabis. Sunt cauſſarii, qui per arthriticos inſultus aut per ſpaſmos etiam vires facilius recuperant, quam cum roborantem adhibueris methodum. Accedit, varios morbos diuturnos toti corporis conſtitutioni eam labem adferre, ut, digeſtione labefactata, nullum remedium neque vulgaria nutrimenta ferri poſſint. Quid enim mulieri ſexagenariae, quae maiorem vitae partem in ſpaſmis aliisque nervoſis degit adfectibus, quaeque iam eo redacta eſt,

ut ventriculus, praeter ſelecta quaedam alimenta, nihil ferat, quid ei mulieri roborantia imperaveris? Naturae potius committenda eſt, levanda ſymptomata, ſenſibus blandiendum: curatio autem perfecta ex arte nunquam ſperanda. (§. 5.)

d. *Indicata.*

α. Victus ratio.

131.

Quodſi uspiam praeſtat victus rationem remediis, quae officinae largiuntur, anteferre, certe in hac id opus eſt curatione perficienda. Namque, cum ipſa corporis compages ac efficientia mutandae ſint, fieri id multo minus remediis poteſt, quippe quae plerumque transeuntem ſtimulum addant, aut, ſi permanentem etiam, ſi ex ipſis utique aliquid in corporis compagem abit, multo minus in ſuam naturam convertere id poteſt corpus, quam et alimenta et aërem ambientem; multo inſignius agere debet animi temperies et corporis exercitium, quam omnia artis adminicula. Haec etiam potius adiuvant actionem earum rerum, quae e victu ſalubri proficiſcuntur.

Id tamen ex toto monendum, neutiquam eamdem victus rationem cuivis debilitatis gradui aut ſpeciei conferre; ſed caute diſtinguendam eſſe eam,

quae febres acutas comitatur, ab ea, quae in intermittentibus adeſt; longe alio modo tractandam eſſe eam, quae in convaleſcentibus ex acuto morbo ſupereſt, quam quae cachexias ſtipatur: denique peculiari modo ſtudendum eſt, ut in nervoſis adfectibus diuturnis victus ratio vires conſervet et augeat.

132.

Nutrimenta, quae vulgus roborantia vocat, haud cuivis apta ſunt. Generatim vero ſedulo eligenda ſunt leviora digeſtuque facillima: valentiora vero a ſanis duntaxat ferri poſſunt. Dandum tamen, ut Hippocrates iam praecepit, aliquid eſt conſuetudini, ut nec agricolae prohibeas valentiora, quibus adſuevit, nec tenerae mulierculae imperes quae miles gregarius aut auriga ferunt. Notandum etiam aliud Coi ſenis praeceptum: „Paullo deterior „et potus et cibus, iucundior autem, eligendus po„tius quam meliores ſed ingratiores.“ *) Igitur et in his indulgendum eſt aegri cupiditati, ni plane noxia appetiverit. **) Denique ex toto cavendum eſt,

*) Aph. 2, 38. Τῷ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν αἠδεστέρων δὲ μᾶλλον αἱρετέον.

**) Aret. curat. diut. lib. 2. c. 6. Πολλὸν δὲ μέζον ἐπὶ τουτέων ἔστω αἱ τοῖσι κάμνουσι χάριτες, καὶ τὸ καθαρῶς ἅπαν δρᾷν καὶ ταῖσι ἐπιθυμίῃσι ἕπεσθαι τὸν ἰητρὸν, μὴ μεγάλα βλάπτοντα· ἄριστον γὰρ τόδε. ἢν μὴ κάρτα ὠφελεύντων ὄρεξις ἥκῃ.

ne alimenta remediis ullo modo contraria ſint, aut haec in aegri damnum mutent; ſi quis e. g. aegro hydrargyroſin duranti fructus horaeos aut acida permiſerit.

133.

Discrimen nutrimentorum e vegetabilibus animalibusque in diaeta aegrorum magni momenti inſtar habet, ſiquidem carnium proclivitas in putredinem eo minus ſubigitur a ſtomacho, quo debilior eſt eius vis, aut quo magis eſt intenta in alios fines. (*path. gen.* §. 137.) Itaque, qui febribus laborant, abſtineant a carnibus, iuſculis valentioribus ipſisque ovis. Quo magis continua eſt febris, eo ſeverius eſt prohibenda animalis diaeta, eo magis ſola ſufficiat ptiſana, cuius exhibendae varios modos pro varia morbi indole nemo curioſius Hippocrate praecepit. Quodſi vero ſemet remiſerit febris, viribus etiamnum labantibus, addendum aliquid eſt nutritioni: namque tenuiſſimus victus aeque offendit aegrum ſanitatisque reſtitutionem impedit, ac valentiſſimus.

Neque tamen vegetabilis victus ubivis ſaluberrimus putatur. Cum enim facilius aceſcat, diuturna ſtomachi infirmitas leviores potius carnes poſcit quam legumina aut fructus horaeos, quibus acrimonia ventriculi acida et flatus facillime generantur. Inſtinctui plerumque obediendum eſt; ſi enim aeger carnes

carnes respuit aut horret, nocere etiam solent; si vinum concupiscit, utile etiam id utplurimum erit. (§. 28.) Denique et convalescentibus carnes potius imperandae sunt, quod celerius nutriunt plantis.

134.

Sed magna carnium huic fini idonearum est differentia. Convalescentibus nil utilius ac iucundius venatione et avibus, quae volatu fidunt: quae si assae comeduntur, digestionem adiuvant et corpus firmant. Qui nec has mandere carnes possunt, iusculis nutriuntur e carne vitulina aut gallinacea, quibus oryza, hordeum decorticatum, allia etiam et petroselini, portulacae, dracunculi, sanguisorbae folia adduntur. Saluberrimae partes quaedam animalium iuniorum, thymi glandulae et mesenterii vitulini, quae etiam elixae cum succo citri, encrasicolis et pane triticeo miscentur. Febribus impliciti aut morbis diuturnis confecti gelatina animali nutriuntur, quae e cornu cervi raso aut pedibus vitulinis cocta cum additamentis gratis exhibetur. (*pharm.* §. 31.) Amphibiorum caro, viperarum maxime et lacertarum debilitati aptissima, quae cachexias comitatur, diureticas simul habet et diaphoreticas vires. (*ib.* §. 32.) Iuscula etiam e limacibus parata alibi iam (*ib.* §. 32.) commendavimus.

Carnes ſale fumoque conditae quamvis in morbis acutis prorſus interdicendae, expediunt tamen in laxitate ſtomachi diuturna.

135.

Lac etiam optimis adnumeratur nutrimentis (*pharm.* §. 35.), maxime humanum et aſininum, quod utrumque, intimo connubio ſaccharinae ſubſtantiae et albuminoſae inſigne, confert praeſertim tabe confectis. Salubrius fit aqua Selterana aut Geilnavienſi aut alia, quae acidum carbonicum continet, mixtum. Salubrius quoque lac ebutyratum et ſerum lactis dulce: in profluviis ſanguinis utiliſſimum ſerum lactis aluminatum. (*pharm.* §. 285.)

Lacti ſimilia ſunt ova, quae ſi e gallinis petita, recentia aut molliter cocta eduntur, leve nutrimentum praebent. Aliorum tamen pullorum cohortalium, Tringae etiam vanelli, licet dapes lautas praebeant, aegris tamen ob pinguem indolem minus conferunt: inſignem digeſtionis vim poſcunt coctione durata.

Piſcium carnes ocyſſime putreſcunt, hinc minus commendandae ſunt aegrotis, prohibendae omnino, ſi febre laborant. Salubriores ſunt Eſox lucius, Cyprinus barbus, C. caraſſus; Perca fluviatilis et lucioperca; Salmo fario, trutta et alpinus; Gadus etiam lota. Ob adipis copiam prohibendi

Cyprinus Carpio, brama, Salmo Salar, Cottus gobio, Muraena anguilla et Petromyzon fluviatilis; ob valentissimam carnem marini et acipenseres.

136.

E vegetabilium partibus, ut leviter nutriatur corpus, praeferenda sunt cerealium semina, avenae praesertim et hordei excorticata, fagopyri etiam et Festucae fluitantis, e quibus iuscula parantur: dein panis vel triticeus vel secalinus. E farre secalino puls conficitur, tabidis commodissima: pariter utilis quoque medulla Cycae circinnalis et bulbi orchidum. (*pharm.* §. 26.) Solani tamen tubera, amylo ditissima, vel penitus prohibenda sunt aegris, vel in diuturnam infirmitatem servanda.

Plerisque aegris commodissima sunt legumina tenera, phaseolorum, pisorum lotique tetragonolobi, semina etiam ipsa, dum liquorem amnii saccharinum continent. Qui si iam concrevit in albumen amylumque, neutiquam idonea sunt semina, quia flatus excitant. Pariter levia et grata praebent alimenta radices Dauci Carotae, Scorzonerae, Tragopogonis et Sisari, cum intima mixtio saccharinae substantiae et mucilaginis digestionem iuvet ac alvum molliat. Huc etiam turiones asparagi, lupuli, Crambes maritimae; surculi etiam Podagrariae aliarumque herbarum, Brassica quoque gongylodes,

praeſertim botrytis, referenda ſunt. Minus confert Braſſica ſabellica et ſeleniſia aut ſabauda: Braſſica vero Napobraſſica, capitata, viridis et rubra; rapae; radices Apii graveolentis, Petroſelini, ipſa etiam Spinacia oleracea vel plane prohibeantur, vel cautiſſime in diuturnis morbis permittantur.

In fructibus horaeis, ceraſis et prunis ſiccatis iterumque coctis, dein ficubus et uvis, pomis borſtorſianis et cavilleanis, fragis etiam et moris princeps locus eſt tribuendus. Alii fructus vel flatus gignunt, ut malum armeniacum aut pyra; vel nimis calorem ligant, ut perſicae; vel magis adſtringunt, ut baccae myrtilli et vitis idaeae. Quibus quamvis uti poſſis in aliis adfectibus, firmare tamen corporis vires iis haud licet.

137.

Potus, quo corporis vires firmandae ſunt, eo valere debet, ut digeſtionis vires leniter ſollicitentur, excretiones rite ſerventur. Aquae purae admiſcendum eſt vinum generoſum, vel huius paucula vaſcula bibenda. Vina gallica leviora, praeſertim rubra clariſſima et fragrantia, huic fini aptiſſima ſunt. E ceraſis etiam coctis aut pomis borſtorſianis cum vino, ſaccharo et aromatibus gratioribus ſorbitiones parantur delicatae, quae plerisque aegris optime conferunt. Cereviſia haud admittenda, niſi febre peni-

tus ſilente, niſique probe parata ſit, clara, lupulo bene condita et facillime per urinam transeat.

138.

Aër purus praeſtantiſſimum offert auxilium ad firmandas vires ſanitatemque reſtituendam. Studioſe igitur ventilanda ſunt cubicula aegrorum: aër purus continuo admittendus: protinus ut e morbo revaluerint aegri, ſub dio degere, ſi temperies id permittit, diſcant. Aëre montano gaudere, ſi poſſint, inſigne virium robur inde percipient. Temperies aëris frigidior, indoles ſiccior et ſerena multo utilior eſt aeſtuoſa, humida et nebuloſa.

139.

Magnopere iuvat exercitatio corporis, qua muſculi firmantur, digeſtio promovetur, oxygenis paratio in pulmonibus acceleratur. (*path. gen.* §. 178) In variis autem eius ſpeciebus praecipiendis, plurimum dandum eſt et conſuetudini et vitae generi, tum etiam aetati, ſexui, aegritudinis denique ſpeciei et gradui. Imbecillimi aegri, diuturnis malis impliciti, geſtationem et vectionem in curru ferunt. Equo vehi vires magis exercet, animum reddit hilarem aërisque acceſſui multiplici favet. Navigatio, maxime per maria temperatiora, in diuturnis malis ſtudioſe commendanda eſt. Quodſi vires ſuffecerint, ſubdialis inambulatio, armorum tractatio, venatus,

faltatio, ludusque varii, qui fub dio fiunt, commendantor. Eruditis hominibus declamatio et vocis exercitatio magnopere confert, quod quidem praefidium nemo uberius atque fcientius Antyllo tractavit. (*Oribaf. coll. lib.* 6. *c.* 7 — 10.)

§. 140.

Appetitiones animi declinationesque quantum faciant ad valetudinem adverfam producendam, olim uberius expofuimus. (*path. gen.* §. 162. f.) Itaque medici eft, in id omnes induftriae ingeniique nervos intendere, ut animus aegrotorum quietus fit, et, fi fieri poteft, etiam hilaris. Huc confert inprimis fiducia, quam aeger in medico collocat, quam hic quidem meretur ἀταρακτοποιήσει (§. 18.), humaniffima fedulitate, nulloque praetermiffo ftudii aut officii genere, quo benevolentiam fuam et defiderium opem ferendi probare poffit. Magnopere intereft, cautiffimum effe in praedictione formanda, qua ne terreatur aeger cavendum. Si exitium inftat, id ita praedicendum eft, ut hominem fapientem et Chriftianum decet. Religionis noftrae, quae humanitatis triumphum fiftit, praeceptis utendum, ut animi aerumnis terroribusque feffi vires erigantur eoque vertantur, unde folatium verum auxiliumque omne petendum.

Nec negligenda adfectuum falubrium excitatio, quae etiam muficae artis ope contingit: antiquiffi-

mo more, incantationibus mollibusque carminibus morbos fugare, id praeprimis probante. Contra omnem morbi dolorem Avicenna dulcem ſuadet cantilenam. Et Aſclepiades in furore aliisque mentis morbis adhibendum eſſe praecepit cantum duplicem: phrygium, qui iucundiſſime excitaret animum prae moeſtitia furore correptum, alterum doricum, gravem eum et compoſitum, qui iuvet puerilibus cachinnis exſultantes. (*Cael. Aurel. chron. lib.* 1. *c.* 5.)

141.

Denique et ſomno utendum eſt, ut vires recreentur. Qui ſi poteſt abſque narcoticis cieri quietus, mirum eſt, quantum eo addatur viribus, ut et criſes perficiantur et convaleſcentes citius in ſanitatem redeant.

β. Medicamenta.

142.

In remediis primum certe locum martialia obtinent, quae vero contraria fere ſtatui febrili, in diuturna duntaxat et cachectica infirmitate adhibenda ſunt. Ubi laxitas fibrae ſimul eſt corrigenda, ubi calefaciendum corpus, ſanguinis mixtio depravata curanda, rubor cruoris augendus eſt, ibi martialia reliquis remediis praeferenda ſunt: de quorum delectu alibi (*pharm.* §. 353—365.) praecepimus.

Sequuntur remedia extractiva amara, (*pharm.* §. 171.) quae praecipue ventriculi vires firmant, humorum digestioni inservientium mixtionem emendant stasesque resolvunt. Itaque praeferenda sunt in debilitate febrili atque inaequabili virium nervosarum dispensatione: commendanda etiam in colluvie pituitosa et verminosis adfectibus.

Dein remedia balsamico-adstringentia, quae et tonica dicuntur, maxime suadenda sunt, ubi infirmitas maior cum laxitate et atonia adest. E quibus cortex peruvianus reliquis palmam praeripit. (*pharm.* §. 200.) Eorum omnium usum in superioribus indicavimus.

Denique et acida mineralia energiam systematis sanguiferi potenter augent, vi sensifera minuta, quod e deposito oxygene exponere poteris. (*pharm.* §. 262.)

Cap. IV.

DE METHODO INCITANTE.

a. *Modus agendi.*

143.

Quodsi ea, quae de ratione corporis organici ad res externas (*phys.* §. 62.), de ortu morborum dyna-

mico (*path. gen.* §. 6.), de actione remediorum generatim (*pharm.* §. 5.) praecepimus, univerſim intelliguntur; negari nequit, omnem praeſidiorum, quae ars offert, actionem vel magis vel minus ſtimulantem eſſe, eo ſaltem tendere, ut, limitata protinus vis ſenſifera ſeſe exſerat. Qua quidem generali lege ſolutae ſunt eae res, quae duntaxat limitant vim, aut quae mechanicas fibrae dotes ita mutant, ut cohaerentiam minuant. (*pharm.* §. 6. 7.) Ab eo autem loquendi uſu latiſſimo recedimus, ſi incitantem methodum habemus peculiarem, qua vis ſenſifera vel totius corporis, vel ſyſtematis alicuius aut partium ſingularum ita ſollicitatur atque laceſſitur, ut, quae obdormiverit, expergiſcatur; quae deſes ac iners, ſuſcitetur; ut et efficientia ad valetudinis ſecundae normam redire poſſit. Quibus cum ſufficienter pateat discrimen roborantis methodi ab hac, monendum etiam, nec evacuantem ullam methodum, etiamſi ex incitatione vis ſenſiferae ſaepe proficiſcatur, huc referendam eſſe.

144.

Cum per ſe hac methodo vires neutiquam augeantur, exſertione duntaxat aut manifeſtatione vis ſenſiferae increſcente, transire eum effectum liquet. Eſt tamen longa et continua fere ſeries incitantium rerum, ordiens ab iis, quae fugaciſſimo modo ſtimulant (ſpirituum aethereorum exemplo) pro-

ducta in eas, quae fixo permanenteque modo vires lacessunt (earum exemplo, quae resinam habent.) Hae locum primitus adfectum potius sollicitant, in alia minus agunt: fugacissima vero incitamenta per nervorum imperium totius corporis potita vim sensiferam ubique proliciunt. Est autem id singulare in omni incitantium actione, virium functiones accelerari quidem sed nullo modo fortiores in se fieri, sensationes igitur ocyssime contingere vividioresque esse motusque omnes crebriores, neque tamen ipsam efficientiam robustiorem fieri.

145.

Itaque contingere solet, ut lacessita vis eo citius semet remittat atque vel ad debiliorem redeat actionem, quo fugacior est incitatio, quoque ocyus transit. (*phys.* §. 66.) Haec quidem remissio vel protinus in energia ipsa animadvertitur, vel post temporis aliquod spatium in vi sensifera. Hinc fit, ut musculorum actio decrescat, maxime in peculiaribus organis post stimulantium nonnullorum usum, camforae exemplo et digitalis aut kali etiam carbonici. (*pharm.* §. 98. 165. 273.)

Quibus accedit, virium intensitatem imminui secessu aquae et humorum aucto. (*phys.* §. 36. 52.) Atqui pleraque incitantia tum demum salubriter agunt et effectus speratos producunt, cum perspirationem

cutaneam leniter promovent, quod de camfora, digitali, hydrargyro etiam et ſtibio notiſſimum eſt. Qua perſpiratione cum diſcidium humorum increſcat, eliminatur omne id, quod antea vires ſollicitarat, ipſa etiam conductio imponderabilium facilior ſit et magis regularis. Hic autem agendi modus perquam memorabilis eſt, quod nimirum incitantia, quo magis fugacia ſunt, eo melius et tutius inaequabilem vis ſenſiferae diſtributionem ad ordinem ſanitatis reducunt: valerianae exemplo et ſpirituum aethereorum: quoniam horum effectus brevi tempore tranſit in remiſſionem, perſpiratione aucta.

146.

Quamlibet, quae vere roborant adduntque aliquid ad corporis compagem, incitantibus proprie adnumeranda non ſint; ea tamen, quae alterum vis vitalis momentum, energiam, privatim laceſſunt, ſtimulare omnino merito dicuntur. Opium enim, quo nervorum energia augetur, minime tamen roborat, ſed in praeſtantiſſimis militat incitamentis. (*pharm.* §. 232.)

147.

Magni tamen momenti inſtar habet diſcrimen ſyſtematum organorumque, quae peculiariter incitante methodo adficiuntur. Vita cuiusvis organi peculiaris (*phyſ.* §. 13.) ac ſpecificus modus, quo ex-

ternae res eorum organorum vim ſollicitant, (*phyſ.* §. 52.) nullibi magis clareſcunt, quam in incitantium eorum actione. Quodſi enim cantharides et ſcilla et digitalis renes et veſicam ſpecifico modo adficiunt; hydrargyrum vaſa abſorbentia et capillaria; cutim Viola tricolor, ſulfur et ſtibium; pectus et aſperam arteriam ſenegae radix; reſinoſa ſaponacea ventriculum adoriuntur.

Neque earum rerum, quae idem ſtyſtema aut organon adgrediuntur, eadem eſt et una actio; ſiquidem et kali carbonicum et galbanum et ammoniacum in vaſa abſorbentia agunt et capillaria; longe tamen alio modo ac hydrargyrum. Quanam autem ratione id exponendum ſit, haud liquet; medici tamen eſt, ſedulo indagare id diſcrimen, ut, quemnam effectum peculiarem quodvis remedium incitans exſerat, pateſcat. Maxime vero notanda differentia eorum, quae, nervorum organicorum vim ſenſiferam eliciendo, motum ſanguinis accelerant caloremque animalem et earum rerum, quae nervis cerebralibus blandum, gratum fugacemque ſtimulum impertiendo, actiones ſyſtematis ſanguiferi magis ſedant et componunt.

148.

In quibus antitheſis organorum et antagoniſmus cum conſenſu haud negligendus eſt. Quodſi etiam

polarium elementorum antithefin minus advertimus, utpote minus clarum, fed hypotheticum, (*phyf.* §. 72.) cuivis tamen patet arteriarum venarumque antithefis, intercedente fyftemate capillari, utpote indifferenti. Notiffima eft nervorum mufculorumque antithefis, e praedominio alterutrius momenti, quo vis vitalis conftituitur, exponenda: quae, fi ad ftimulantium quorumdam peculiarium actionem applicatur, ad id fere redit, ut, vi fenfifera fugaci modo incitata et conductio et confumtio imponderabilium augeatur, quo facto mufculorum contractiones irregulares compefcuntur. (*path. gen.* §. 259.) Tali quidem modo non eft, cur dubitemus, incitantia plura antifpaftica virtute vigere, mofchi exemplo et valerianae.

Nec negligenda eft alia organorum cutaneorum et internorum antithefis, qua fit, ut incitatis illis, haec minus vivide, minus etiam turbulenter agant. Hactenus cauftica, veficatoria eaque, quae exanthemata proliciunt, interdum componere turbas vifcerum videntur.

b. *Indicantia.*

149.

Generatim haec methodus vis fenfiferae torpore indicatur. Quem ut rite cognofcas, ut fedulo ratio-

nem utriusque momenti, quo vis vitalis conſtituitur, gradum torporis et tempus morbi discernas, omnes intendere nervos ingenii et intellectus oportet. Siquidem, ubi reſoluti penitus ſunt nervi, quivis, vel rudis ab omni ſcientia, perſpicit, ſtimulantium opus eſſe; ubi vero, inaequabili virium dispenſatione vigente, vis ſenſifera vergit quidem in torporem, ſed nondum penitus eſt proſtrata, curioſe delectus incitantium inſtituendus eſt. Fugacia eaque, quae blandiſſimo modo nervos ſollicitant, ut aequabiliter imponderabilia conducantur, praemittenda ſunt; ſequi debent, quae fixiori modo peculiaria organa adficiunt.

150.

Incitans igitur methodus in auxilium vocanda eſt in febribus acutis, dum citra inflammationem activam et ſaburram virium languor cognoſcitur pulſibus exilibus, irregularibus et debilibus, ſenſuum hallucinationibus, ſomno turbato inſomniis, aut ſoporibus; tum calor neutiquam adeſt continuus, ſed crebri horrores, aut frigus etiam totum corpus exercet; dum cutis ſudoribus madet haud levantibus, dum urina turbida eſt alvusque vel liquida vel etiam ſtricta. Nequaquam obſtant ſpaſtici motus varii, ſubſultus tendinum et deliria, ſi modo haec mitia fuerint: namque et in moribundis cum ſummo

languore virium haec ſymptomata iungi cuivis notum eſt.

Multo fortius poſcuntur incitantia, cum pulſus ſunt molliores iuſto et undabundi, cum temperiei nulla viciſſitudo accidit, ſoporibus continuis aeger vexatur, oculi caligant, auditus aliique ſenſus hebeſcunt, cum tremores corpus quovis motu exercent. Tum ad validiora eſt confugiendum incitantia, quae vero, ſi energia omnino peſſumdata eſt, ſola haud ſufficiunt, ſed tonicis et roborantibus iungenda ſunt.

151.

Indicantur incitantia, ſi naturae vires criſin molientes, infirmitate aut vi morbi impediuntur. Ea cauſſa rite cognita et ſedulo diſtincta ab oppreſſione, ſatius eſt, incitante methodo generali adhibita, naturae potius viribus ſuſcitatis committere, quid moliturae ſint, quam hanc vel illam criſin protinus ſuſcitare. (§. 30.) Sic exanthemata, ſi quae iuvabunt; ſic ſudores, urinam, alvum etiam et vomitum ciet ipſa natura; ſic pus benignum in ulceribus malignis producit, dummodo incitante methodo ad id ſtimulatur. Pleraque eiusmodi remedia, quibus tributa eſt vis, vel hanc vel illam proliciendi excretionem, generatim potius ſtimulant vaſa capillaria, unde neque myrrha puris generationem proxime, ne-

que hydrargyrum ſalivae curſum promovere credibile eſt, ſed incitatis vaſis capillaribus modo hanc modo illam producere excretionem.

152.

In morbis diuturnis incitantem methodum non ſolum nervorum reſolutiones indicant, ſed maxime languor reproductionis, e vis ſenſiferae labe proficiſcens. Hinc in hydrope praeprimis, ſi vaſorum abſorbentium torpor accuſandus eſt, incitans methodus eligenda eſt, qua et excretiones augentur et abſorbtio promovetur. Scorbutus, a depravata ſanguinis paratione pendens, peculiaribus tractatur incitantibus, quae et digeſtioni et ſanguinis boni confectioni favent. Scroſulae incitantibus iis curantur, quae glandulas vaſaque abſorbentia privatim adficiunt, ut laxitas eorum organorum tollatur.

153.

Morborum diuturnorum curatio eo ſaepe tendit, ut, vi ſenſifera inaequabiliter distributa, haec in normam redeat, quod excitata ea nonnunquam optime ſuccedit. (§. 145.) Itaque in innumera fere malorum caterva, quae ſtaſes abdominales ſenſiferaeque vis per ganglia abdominalia fluctuationem excipit, prodeſt peculiaris methodus incitans, quae vel vaſorum abdominalium actionem auget, vel impetum humorum verſus organa quaedam peculiaria ſuſcitat. Ita in arthri-

arthritide anomala aconitum et guaiacum, dulcamara etiam et ammonium agere videntur. In imperanda vero hac methodo incitante magnopere interest, victus rationem ita instituere, ut faveat activis naturae medicatricis moliminibus: alioquin enim vires prius labascunt, quam salubres effectus producant.

154.

Gravissima est incitans methodus in atonia viscerum abdominalium, quae et colluviem pituitosam et vermium congeriem et flatus et calculi generationem producit. In his omnibus remedia quae adhibentur, ad incitantem potissimum methodum reducenda sunt. Permanente tamen distinguuntur stimulo, quo suscitatae vires pituitae et resolvendae et educendae pares sunt. Lithontriptica inprimis et physagoga methodus huc fere redit.

155.

Vis sensiferae intentio, si ab inaequabili eius dispensatione pendet, tantum abest, ut irritantis methodi usum prohibeat, ut etiam magis et fortius imperet. Sed circumspectissime est aegritudinis genus et tempus indagandum, ne exasperetur malum, quod omnino debellari potest hac methodo, si tempestive adhibetur. Plurimi quoque interest, delectum instituere eorum remediorum, quae specifico

modo et hactenus incitare valent, ut inaequabilis virium dispenſatio ceſſet. Sic hydrargyrum muriaticum mite in inflammationibus paſſivis adhibitum omnino ſtimulat vaſa abſorbentia: nullum tamen aliud remedium incitans ei ſubſtitui poteſt. Kali cauſticum ſtimulare ecquis negaverit: eo tamen modo nervorum organicorum fines ſollicitat, ut conſumtionem imponderabilium accelerent, eaque ratione ſpaſmi ſileant. (*pharm.* §. 274.)

156.

Hinc et profluvia, quamvis vaſorum fines utplurimum incitatos agnoſcant, ſtaſibus tamen ſaepe aut laxitate ſaltem truncorum ſuſtinentur, aut ab inaequabili virium dispenſatione pendent. Quibus omnibus merito opponitur incitans methodus. Hinc cinnamomi cortex in ſanguinis profluviis, arnicae flores in dyſenteria, digitalis in variis eiusmodi profuſionibus expediunt.

157.

Quanquam oppreſſio virium humoribus aut aliis rebus materialibus effecta incitantem methodum prohibet, graviſſima tamen eſt, ſi vel virus animale vel contagium nondum totam humorum maſſam depravavit, ut ſuscitatae vires ſemet liberare ab iis poſſint venenis. Ammonium cauſticum contra viperae morſus utiliſſimum neſcio poſſitne alio modo ex-

poni. Multo vulgatior eſt vini uſus protinus ut aliquis contagio infectus eſt: et, qui febris flavae contagio inquinantur, ſi modo hydrargyri muriatici mitis grandiorem copiam ſumunt, ilico ſaepe revaleſcunt. (*Mawe's Reiſe in das Innere von Braſilien*, p. 8.)

c. *Contraindicantia.*

158.

Impotentia motuum et ſenſuum obfuſcatio, quae obſtacula excipit, tantopere nonnunquam urgent, ut verae infirmitatis ſpeciem prae ſe ferant. Huic autem oppreſſioni, tum ſymptomatum comparatione tum praecipue cauſſis praegreſſis et hiſtoria morbi cognoſcendae (*path. gen.* §. 48.) incitantem opponere methodum nefas eſt, cum ſtimuli opprimentes neceſſario augeantur.

Nihilominus monendum eſt, incitantem methodum, quamvis haud indicata ſit, ad tempus tamen et in oppreſſione virium levamen adferre, cum, quaecunque adfuerint cauſſae, virium exſertio tamen augeatur. Itaque in lipothymia aut nervorum reſolutione, humorum colluviei tribuendis ſtimuli fugaciſſimi, aqua Lucii aut ammonium cauſticum revocant ad tempus ſaltem vires, etiamſi perfecte curandus ſit morbus remediis iis, quae humores elimi-

nant. Curatio enim ſymptomatica, cui adnumeranda eſt haec incitans methodus, ſaepe neceſſaria eſt, cum vel urgent ſymptomata vel cauſſa materialis ignota eſt. (§. 43. 44.) Accedit, quod paullo ante monui (§. 157.), nonnunquam incitantia ipſa paria eſſe, quibus materies morboſae evacuentur.

159.

Aliud, pariter grave, contraindicans exiſtit, ſi efficientia ipſa iam vere proſtrata eſt, ubi nequaquam ſperandum, fore, ut ſuſcitata vi ſenſifera efficientia refocillari poſſit. Quinetiam magis infringuntur vires, ſi continuo laceſſuntur, neque aliquid earum robori additur. Itaque ex hiſtoria morbi, ſymptomatibus comparatis et cauſſis praegreſſis gradus debilitatis efficiendus eſt. Si vero is cognoſcitur, qui incitante methodo tolli nequit, his remediis addenda ſunt roborantia et tonica. Cum arnicae floribus et radice ſerpentariae cortex peruvianus iungendus eſt, ſi in febribus nervoſis, dyſenteria maligna aut aliis eiusmodi morbis energia iam nimis labefactata eſt.

160.

Inaequabilis vis ſenſiferae distributio, ſaepiſſime debilitatis ſpeciem prae ſe ferens, haud facile irritantia poſcit, niſi adeo fugacia ſint, ut intentio iis producta ocyſſime in remiſſionem transiens reſtitutio-

nem normalis diſtributionis pediſſequam habeat. (§. 153.) Gradus is aut ratio huius intemperiei quibus prohibetur incitans methodus, cognoſcitur plerumque e duritie pulſuum, ariditate cutis, aeſtus continuitate, doloribus internarum partium adſiduis, anxietate, deſipientia feroci atque continua, e truci oculorum obtutu et lotii flammeo colore. Quorum ſymptomatum ſi pauciora adfuerint, fugaciſſima quidem incitamenta, quae ſenſus mulcent, proficua ſaepe ſunt, nocentiſſima vero, quae fixiori ſtimulo exaeſtuant et turbas nervorum organicorum augent.

161.

Sedulo cavendum eſt, ne naturae vires et molimina medicatricia incitante methodo perturbentur. Eum errorem graviſſimum committunt, qui vel negligunt oppreſſionem virium criſium praeviam (§. 26.); vel regulam auream ſusque deque habent: *ἅ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων* (aph. 1, 21.). Sic pervertunt naturae molimina, qui, ſi forte alvi profluvium molitur, incitatione generali potius diaphoreſin producere ſatagunt.

162.

Ex toto autem praeceptum valet: "Qui morbo ipſi et cauſſis efficacibus medetur, vires etiam optime ſervat, et incitat. Supereſt ſaepe etiam poſt

morbos ſuperatos debilitas inſignis, quae incitantibus nonnunquam magis exaſperatur, ſi ſtatus morboſus organi nobilioris remanet. Ita nonnunquam longe alienis methodis vires ſuſcitamus, ſi cauſſis eae curationes contrariae ſunt. Adſtringentia incitant, ſi laxitas fibrae; mollientia, ſi durities partium et rigiditas; ſedantia ipſa, ſi nimia vis ſenſiferae incitatio activitatem minuit.

d. *Indicata.*

163.

Nulla profecto alia curatio tam curioſum praeſidiorum delectum exigit, quam haec, cum inſignis adſit differentia remediorum, quorum alia alio modo agunt; plurima ſpecifico modo organa peculiaria adficiunt; alia vim ſenſiferam nervorum, alia motricis fibrae receptivitatem laceſſunt. Qui haec rimaturus discrimina probe delectum inſtituit, optime medetur. Experientia autem et pharmacologica ſcientia id examen inſtituendum eſt, nec opinationibus fidendum, quas ſcholae forte de polarium elementorum ratione comminiſcuntur.

164.

A generalibus incitamentis ordientes, aëris primum temperies obvia eſt, quae dum increſcit, totius corporis vim ſenſiferam potenter auget. Quan-

tae ſint caloris vires in ſuscitanda ea vi, uberius expoſuimus. (*path. gen.* §. 125.) Eo igitur utimur ad reſtituendam vim ſenſiferam, ſi nervi forte reſoluti ſunt, aut ſi vaſa abſorbentia et capillaria inertia muneribus ſuis haud rite funguntur. Veteres iubebant in paralyſi ſole corpus torrendum vel paroptesin e carbonibus, vel curationem, quam Graeci φοινιγμὸν appellitabant, arena litori vicina, quae ſit ſole ignita, ut circumtecta gremio foveret aegrotantem: imperabant etiam in lavacro igneo uſum flabrorum. (*Cael. Aurel. chron.* lib. 2. c. 1.) Igne et recentiores ſaepius utuntur, cylindris e moxa accenſis, quibus pertinacem interdum nervorum reſolutionem tollere licet. In hydrope quanta ſit fomentorum calidorum utilitas, cuivis innoteſcit: in eodem morbo clibani aut furni aeſtus non vulgo ſoli ſed medicis etiam commendabilis videtur.

Quae calorem augent mechanico modo, frictiones maxime panno laneo, urticatio etiam, acupunctura, qua Iaponiae incolae utuntur, flagra ipſa in uſum vocanda ſunt, ubi membra integra reſoluta ſunt. Themiſon plagis ferulae caedendas partes reſolutas imperabat. *Cael. Aurel.* l. c.

165.

Magnum praebet electricitas adminiculum, ut vis ſenſifera ſuſcitetur. Id vel maxime de poſitiva

electricitate, e conductore fasciculis radiantibus prorumpente valet: haec enim pruritum, punctionis sensum et aestus, dolores, succussiones vel partium singularum, vel totius corporis producit. Attrahuntur versus irritatam partem humores, maculis rubris, congestionibus ipsisque inflammationibus obortis. Id fieri oxygene in ea electricitatis forma praevalente probabile est. (*path. gen.* §. 132.) Neque tamen et negativa electricitas, e τριπτηρίῳ seu pulvino fricatorio, elicita, sine stimulantibus effectibus est: namque pulsus accelerati, dolores aucti et secretiones promotae inde interdum observatae fuerunt. (*Kühn's Zusätze zu Deiman über Electr.* p. 64.) Quod Böckius explicare studet ex oxygenis e corpore evocati aeque stimulante vi, ac dum corpus ingrediatur. (*Beytr. zur Anwend. der Electr. auf den menschl. Körper*, p. 21.)

Quodsi vero electricitatem adhibituri sumus, morbi genus gradusque torporis ante omnia caute definiuntor. Cum enim vis sensifera fortiter eo stimulo lacessatur, consideranda est utriusque momenti, quo vis vitalis constituitur, ratio. In morbis diuturnis potius, quam acutis ad hoc praesidium confugiendum est, quanquam febres intermittentes ipsique rheumatismi acuti huic methodo interdum cedere soleant. (*Kühn's Zusätze zu Deiman*, p. 169. 308.)

Ita autem adminiſtranda eſt haec curatio, ut a mitioribus ſpeciebus inchoemus, neque prius concuſſiones ope lagenae Kleiſtianae in uſum vocemus, quam corpus adſueverit huic ſtimulo, mitioribus aliis incaſſum tentatis. Balneo electrico, quo, nulla elicita ſcintilla, atmoſphaera electrica eum circumfundere iubetur, incipimus: ventus electricus ſequitur, quem aſſlamus parti cuidam ſpeciali, ope bacilli directoris recurvi, cuius apex pyrulo ligneo inſtructus eſt. Scintillarum eliſio his valentior eſt methodus: ſellae ſeparatoriae impoſito aegro admovetur elicitor bacillus, obtecta prius parte pannis laneis aut ſericeis. Qui, quo crebrius parti admovetur, eo blandior eſt ſtimulus; fortior, quo longiora intercedunt temporis ſpatia. Succuſſus tandem electricus eo conducit, ut, circulo rapido electricitatis utriusque excitato fortiſſime pars adfecta feriatur. Requiritur lagena Kleiſtiana, vel cum conductore iungenda, vel, ſi fortius et velocius impraegnanda eſt, ita collocanda, ut tegumen alterum cum conductore, alterum cum τριπτηρίῳ ope catenularum cohaereat. Ex hac vero duobus bacillis ita elicitur electricitas, ut, altero cum altero tegumine iuncto ad extremam partem applicito, altero ſcintillas ex altera extrema parte provocemus.

Circumſpectione vero opus eſt, ut evacuationes liberae ſerventur et promoveantur, ſicut id in omni incitante methodo. (§. 145.)

166.

Galvanifmus, feu electricitas heterogeneis corporibus femet contingentibus elicita, cum omnes electricitatis, quae machina provocatur, effectus edat, magni quoque pendendum effe in incitanda vi fenfifera probabile eft. Bifchofii quoque et Grapengiefferi, Schuberti et Waltheri Landshutenfis ftudiis magnopere commendata eft haec curatio; modus eam adhibendi commendatus ab Ofiandro, Weinholdio et Weftringio. Neque tamen experientia docuit, vel fortiorem praebere vel tutiorem ftimulum electricitate machinis elicita.

167.

Magnetifmo, quem artifex tractibus illis fufcitat, fenfum organicum mirifice erigi et hactenus incitari, ut et clarus fiat et inftinctu actiones falubres producat et crifes etiam fpafticis motibus turbulentas, olim (*phyf.* §. 396. f.) docuimus: unde nonnulli noftrae aetatis medici in defperatis cafibus, ad eam methodum confugiendum effe fuadent. Cum vero morbus potius fit, quam ftatus peculiaris; cum, quid effici poffit iis turbis, incertum fit; cum id tamen perfuafum habeamus, corpori hominis imprimi eam mobilitatem fenfiferaeque vis perturbationem, ut diuturna faepe fequatur aegritudo adverfa: abftinendum potius eft hac intuta methodo.

168.

Potentiſſimum animi imperium in functionibus corporis regendis cogit nos atque compellit, ne unquam mentis dotes, ingenium et proclivitates in morbis curandis negligamus. Intentio animi languentis et marcentis ad ſtudia, ad adfectus laetos erigentesque graviſſimum praebet praeſidium, quo torpor vis ſenſiferae tolli poteſt. Quid quod ira ipſa et terrore nervorum reſolutionis ſanatae meminerunt auctores.

Ipſe denique concubitus eximium praebet incitamentum, quo diuturnae aegritudines, maxime e languore mentis et adfectibus triſtibus ortae tolli poſſunt.

169.

In medicamentis incitantibus diſpeſcendis obvia prima eſt claſſis fugacium et volatilium, hydrogene abundantium, ſeu fragrantium ſeu etiam graveolentium. Haec nervos cerebrales adficiendo toti nervorum imperio blandum impertiunt ſtimulum, ut et vividius agere et perturbationes ceſſare poſſint. Spiritus aetherei primum merentur locum: nominanda dein, quae oleo aethereo ſcatent, moſchus et valeriana: quibus denique vinum rhenanum ſuccedit. Haec in principibus. Pariter ſedant ac incitant. (§. 156.)

Alia his ſunt debiliora, ad refocillandas vires in animi deliquiis vel ad diaphoreſin promovendam utilia: lavandulae exemplo et ſambuci. In aliis oleum aethereum minus blandum eſt, nervos vaſorum organicos fortiter incitat, atque exaeſtuat: quorum infinita iterum eſt varietas; aliis magis fugacibus et blandioribus, ideoque magis ſedantibus, olei cayeput, caſtorei, aſae foetidae, et cinnamomi exemplo; aliis fixioribus, ſtomachum ſalubriter et inteſtina incitantibus, flatus pellentibus, calorem augentibus totiusque corporis activitatem. His accenſenda ſunt aromata et bitumina.

170.

Oleorum aethereorum ut magna eſt varietas, ita gradatim transeunt in reſinas, accedentibus ad oleum aethereum oxygene, extracto amaro fixioribusque particulis. Camfora cum iis, quae finitima ſunt, hinc oleis aethereis proxima eſt; illinc balſama naturalia, quae tandem in reſinas abeunt. Illa potentiſſmo ſtimulo vim nervorum organicorum ſenſiferam evocat, in cutem derivat atque ab aliis organis, maxime renibus et partibus genitalibus deflectit. Haec vero vaſa capillaria organorum ſecretioni dicatorum peculiari modo ſuscitant, ut et urinam moveant et puris generationi faveant.

171.

Balſama ſenſim in reſinas abeunt, mediis quibusdam corporibus, oleo aethereo pariter et reſina ac extracto amaro ſcatentibus. Serpentariae radix huc pertinet et guaiacum. Haec fortius irritando et fixius, nervos organorum ſecretioni inſervientium ſollicitant.

Adnumerari his etiam poſſunt cruciferarum virtutes, oleo aethereo acri et principio nondum ſatis cognito tribuendae. (*pharm.* §. 109.) Satis fixum praebent et localem partibus ſtimulum, quo et eroditur cutis et inflammationis ſpecies excitatur. Ingeſta autem tum ventriculi vires erigunt, tum ſecretionem promovent.

His proxime accedunt reſinoſa ipſa; quorum alia fortiſſimo ſtimulo tunicam ventriculi et inteſtinorum mucoſam exagitant, ut pituita et ſi quae ſordes adfuerint naturalibus oſtiis evacuentur, et, communicata cum aliis partibus incitatione, vaſorum abſorbentium et capillarium actio augeatur et totum ſyſtema nervoſum ſalubriter erigatur. (*pharm.* §. 129.) Alia reſinoſa volatiliora in remotas agunt partes, ut et ſecretiones in pectoris organis promoveant, Senegae exemplo (*pharm.* §. 160.), et lotium pellant, ut ſcilla (*pharm.* §. 162.) et in cutem agant, ut Aconitum (*ib.* §. 163.). Alia denique, kali cauſtico forte adiuncto, exedere partes potius ſolent inflam-

mationemque localem producunt. Quibus cortex mezerei, euphorbium, ipſaeque cantharides adnumerantur.

172.

Inſigne eſt discrimen, quod haec potiſſimum remedia et foſſilia arteque parata intercedit. Horum, quae flagrantiae capacia ſunt, ſuo plane et, quodvis ſingulari modo corpus incitat; fortiſſimo et fere univerſali phoſphorus; multo blandiori, tum in tunicam inteſtinorum mucoſam tum in ambitum corporis agente, ſulfur; fugaci autem et univerſali, quo et turbae nervorum ſedantur, kali ſulfuratum et ὑδροθεῖον.

His proxima ſunt alcalina, maxime ammonium carbonicum, quae univerſalem nervis organicis praebent ſtimulum, fortiſſimum autem pura aut cauſtica, quae et exedere partes ſolent. Blandiſſimum vero ſtimulum localem excitant ſapones, quibus vaſa indifferentia ad promovendam ſecretionem abſorbtionemque ſollicitantur.

Similem fere ſaponi effectum habent ſales neutri, quamvis magna ſit eorum varietas. Incitans nitri vis, quae et caſum interdum recipit et calorem attrahens, longiſſime differt a natri ſulfurici vi ſtomachum ſollicitante, ab ammonii muriatici effica-

cia refolvente, ab ammonii fuccinici et acetici virtute diaphoretica.

173.

Tandem metalla laudanda funt, in quibus hydrargyrum oxydulatum tutius reliquis remediis vafa abforbentia et capillaria ftimulat, ut functiones reftituantur: ftibii vero oxydula in cutem potiffimum agunt atque ab aliis organis vim deflectunt. Barytes etiam muriaticus fuo et peculiari modo eadem organa indifferentia adficit.

Cap. V.

DE METHODO METASYNCRITICA.

a. *Modus agendi.*

174.

Non dubito peculiari modo tractare hanc methodum, quamvis haud ignorem, magnam eius partem reduci poffe ad methodum ftimulantem, feu incitantem. Sed cum informatio alia fit, faepe etiam ita inftituatur, ut nullo modo fimpliciter incitetur corpus vel fingulae eius partes, fuam omnino fectionem pofcere videtur.

Fuit autem nomen *μετασυγκρίσεως* a Theffalo, ut videtur, primo effictum, ut fignaret curationem,

qua τὰ συγκρίματα, ſive αἱ συγκρίσεις, e quibus corpus conflatum exiſtimabatur ac conſtitutum, mutarentur atque ratio penitus novaretur. (*Gal. de ſimpl. med. facult.* lib. 5. p. 66.) Συγκρίματα autem dixerunt veteres Eleatici, quos ſequutus eſt Aſclepiades Bithynius, atomorum, ſeu corpuſculorum inſecabilium rationes. (*Galen. de elem.* lib. 1. p. 47.) Itaque μετασύγκρισιν etiam *recorporationem* Caelius Aurelianus vertit: et Aſclepiades, methodi quidem inventor, ſed nomen, a methodicis ſectatoribus uſurpatum, nondum adhibens, hanc curationem θεραπείαν dixit φιλοπαράβολον, quam Caelius Aurelianus minus apte *temerariam* interpretatus eſt et periculoſam.

175.

Quodſi recedimus ab antiquo illo commento methodicorum, atomorum nimirum rationem poſſe et debere hac methodo novari et plane mutari; id tamen perſuaſum habemus, medici eſſe officium, ut totam corporis conſtitutionem mutet, eamque reddere ſatagat, quae et deſtructioni reſiſtere et ſalubria moliri poſſit.

Fieri id autem duplici modo poteſt; vel lento modo ac ſuavi, ut victus ratione, habitatione, moribus penitus mutatis, aliam plane virium rationem producere ſtudeat; vel celeriter ac fere turbulenter, ubi

ubi plerumque incitans methodus hactenus augetur, ut finis peculiaris amplius haud propofitus fit, fed univerfalis potius, motibus fenfibusque turbulentis excitatis mutandam effe corporis conftitutionem.

b. *Indicantia.*

176.

Neceffaria autem eft haec curatio in graviffimo quovis morbo et pertinaci, qui, vi vitali infeftus, indicationem cauffalem eludit. Ibi quoquo modo et *φιλοπαραβόλως* tentandum effe et periclitandum, ut, quid natura faciat aut ferat, cognofcatur. Quodfi enim latent cauffae, aut fi incitans vulgaris methodus vel tonica haud fufficiunt; quid fupereft, quam corporis conftitutionem mutare?

177.

In diuturnis morbis, ab arthritide vaga, ftafibus abdominalibus et inaequabili vis fenfiferae distributione natis, in lue etiam venerea, fcorbuto et variis cachexiis mentisque praefertim morbis unica nonnunquam fpes perfectae curationis collocanda eft in mutata victus ratione. Habitationis enim permutatio, itinera, navigatio, ftudiorum et negotiorum aliena plane indoles perfecte nonnunquam curant morbos, conamina omnia medicorum eludentes.

Roboranti methodo praemittendam esse metasyncrisin in debilitate universali, supra (§. 120.) monuimus.

178.

Morbos spasticos et nervosos subinde, ut et alios diuturnos, natura curat febre excitata, quae naturalis est metasyncrisis, arte imitanda. Parem igitur turbam excitamus, ut finis potiamur.

Nec in ipsis acutis morbis negligenda est haec curatio, cum vires haud potis esse videntur ad caussam subigendam vel amovendam. Utiliter tunc totius corporis constitutio ita lacessitur, ut, quomodocunque id fiat, vires restitui et salubriter terminari possit morbus. Quodsi inaequabilis vis sensiferae distributio febris indolem complectitur, nova perturbatione per artem producta, morbosa silebit, ideoque veritatis quaedam species homoeopathicae curationis, quam Hahnemannus stabilivit, inde elucet.

c. *Contraindicantia.*

179.

Utilissima quidem et summe interdum necessaria haec curandi ratio temeritati tamen proxima est, si, qualem exitum habitura sit haec methodus, penitus latet. Indicantia enim et prognosi constitui su-

pra (§. 51.) monuimus. Itaque agyrtis similis fit medicus, si, nullo respectu ac exitum probabilem habito, metasyncrisin molitur. Cognita prius natura morbi, populari ingenio; cognitis viribus aegroti exitus ratio haud amplius latebit. Qua praevisa indicare possumus, suppetiturae sint vires, sive secus.

180.

Dein prohibetur haec methodus, dum caussa morbi manifesta, aut probabilis saltem, curationi occasionem praebet. Perversa esset temeritas in febre intermittente negligere viscerum abdominalium torporem nervorumque intemperiem, quae plerumque cortice peruviano optime tollitur. Quodsi vero ea curatio nil proficit, naturae viribus cognitis, expedit saepius ad *θεραπείαν φιλοπαράβολον* confugere.

d. *Indicata.*

181.

Animi perturbationes violentae egregium interdum adminiculum largiuntur, quo haec possit curatio institui. Terrore et ira repente suscitata epilepsiam ipsamque hygrophobiam, metrorrhagiam quoque, maxime vero paralyses et febres intermittentes fugatas esse meminimus. Haud vero simpliciter incitare, sed febrem moliri et totam corporis constitutio-

nem permutare eos adſectus monuimus. (*path. gen.* §. 167.)

Magnopere prodeſt ſaepe frigus, quo irritabilitas ſeu contractilitas fibrarum augetur, vi ſenſifera in aliis partibus ſopita, in aliis vero accumulata. Itaque balnea frigida in febribus nervoſis ac ſcarlatina merito laudanda ſunt, quia non ſolum nimiam vis ſenſiferae activitatem minuunt et adſtringunt (§. 91.), ſed mutant etiam virium rationem veramque metaſyncriſin producunt. *) Hinc quoque imbrium actio ſalubris exponenda, quam in febre flava Iackſonius (*on the fevers of Iamaica*, p. 349.), in hygrophobia incipiente Morgagni (*de ſed. et cauſſ. morb. ep.* 8. n. 32.) obſervarunt.

Utiles etiam hoc potiſſimum nomine ſunt ſucculſus electrici, ope lagenae Kleiſtianae producti, quos fortiſſima incitatione et mutatione potius virium (§. 165.) metaſyncriſin moliri arbitror.

*) *Galen. meth. med.* lib. 10. p. 148. Ἐπειδ' ἐν μὲν τῷ ψύξαι καὶ ὑγρᾶναι τὸ κῦρος τῆς θεραπείας ἐστὶν, ἅπασι δὲ τοῖς ψυκτικοῖς βοηθήμασιν ἐφεδρεύει βλάβη διὰ τὴν ἰσχνότητα τοῦ σώματος, ἀναγκαῖον οἶμαι γίγνεσθαι τὸ τοῦ Θουκυδίδου· δράσαντάς τι καὶ κινδυνεῦσαι. Οἷς μὲν γὰρ ἑτέρα μὲν οὐχ ὑπάρχει τῆς σωτηρίας ὁδὸς, ἡ δὲ οὖσα μόνη σφαλερὰ καθέστηκεν, ἀναγκαῖον οἶμαι τούτοις ἐστὶν, ὁμόσε τοῖς δεινοῖς ἰέναι· οὐ μὴν οὐδὲ τὸ σφάλμα θανατῶδως οὐδ' ἀβοήθητον.

182.

Veficatoria, cum magnam cutis partem fenfuque acuto praeditam contegunt, neque fecretionem abunde augent, metafyncritice agunt. Eorum enim ope pervicaces nonnunquam morbi acuti fugantur. Simili modo agit aqua frigida guttatim ex alto delabens, qua nervorum refolutorum vires potenter restituuntur. Ignis etiam et uftio, παρόπτησις veterum et ἡλίωσις, aut infolatio eumdem effectum producunt.

Magna emeticis ineft vis ad metafyncrifin moliendam, dummodo uberius haud evacuent, fed fuccutiant potius ac commoveant vifcera. Quibus et adnumeranda funt naufea arte producta, (*path. gen.* §. 247.) et connubia hydrargyri cum fulfure ftibiato, (*pharm.* §. 331.) ipfa unguenta mercurialia. (*ib.* §. 318.) Hinc et ebrietatis ufum in abigendo contagio et curanda febre nervofa inchoante trahendum effe puto. (*Eph. nat. cur. dec.* 1. *ann.* 3. *o.* 145. *Fr. Hoffm. opp. vol.* 5. p. 352.)

Denique arfenicum, fi quando profuit, fufcitata vi fenfifera totius corporis metafyncrifin moliri, fupra (*pharm.* §. 352.) ftatuimus. Simili modo agere et cuprum fulfurico-ammoniatum (*pharm.* §. 348.) et argentum nitricum in morbis rebellibus (*pharm.* §. 312.) probabile eft.

Cap. VI.

DE METHODO SEDANTE.

a. *Modus agendi.*

183.

Quodſi nimiae virium intentionis ortum ſtudioſe perpendimus, haud unam eamdemque cauſſam adeſſe, mox animadvertimus, ſed plerumque quidem inaequabilem vis ſenſiferae diſtributionem. Quae vero variam originem habens, mox in ſyſtematis ganglioſi, praecipue abdominalis, diſpoſitione vel congenita vel acquiſita; mox in ſtimulorum neceſſariorum abſentia, profluviis praegreſſis, animi abiectione aerumnisque; mox in incitamentis valentioribus mechanicisque rebus, quae vim ſenſiferam nimis laceſſunt quaerenda eſt. (*path. gen.* §. 57. *f.*) Quibus efficitur, ſedantem methodum verſari generatim in reſtituenda aequabili imponderabilium diſtributione, quod fieri poteſt variis modis.

184.

Primum igitur ſedat, qui incitamenta peregrina morboſaque amovet, ſive humorum adſit colluvies et acrimonia, ſive mechanice nervi obſideantur, ſive aeſtus nimius corpus exercuerit; unde evacuantia, ſanguinis miſſio, antiphlogiſtica demum optime ſedare conſueſcunt.

Dein ſedat, qui materialem cauſſam inaequabilis per nervos abdominales conductionis e medio tollit. Staſes enim vaſorum abdominalium ſaepenumero in cauſſa ſunt ſi nervorum perturbationes naſcuntur. (*path. gen.* §. 84.) Itaque reſolvens methodus, eaque quae naturalem ſanguinis menſtr curſum promovet, magni ſaepe eſt momenti, ut tumultus nervorum compeſcantur.

Tertio ſedat, qui teneritatem fibrae, inaequabilis distributionis comitem, roborante methodo curat. Hinc, ſi evolutionis periodos ſtipatur, ſi a nutritionis defectu naſcitur, ſi longos morbos gravioresque aut humorum cladem excipit vis ſenſiferae perturbatio, roborans methodus, maxime, quae victus rationem complectitur, utiliſſima eſt. (§. 124. 125. ſ.)

Quarto ſedat, qui incitamenta auget iisque nova addit, ea tamen, quibus viae facilius aperiantur, quaeque diaphoreſi faveant. (§. 145.) Itaque incitans methodus, praeſertim, quae fugaciſſimis utitur remediis (§. 169.) magnum praebet adminiculum, quo vis ſenſiferae perturbationes cohiberi poſſint.

Quinto ſedat, qui humectat, lubricat et mollit fibram aridam, duram et nimis ſtrictam: quae indoles quamvis minus cauſſa ſit, quam effectus vis ſenſiferae perturbatae; magnopere tamen ſedantem curandi rationem adiuvat. (§. 102.)

Sexto et proxime quidem ac proprio ſenſu ſedat, qui momenti utriusque, quo vis vitalis conſtituitur, rationem laeſam reſtituit, quod utplurimum ſuscitato fit ac erecto momento irritabili, ſimul tamen minuta vi ſenſifera. (*pharm.* §. 227.) Id a narcoticis proprie ſic dictis exſpectari poteſt. Kali ſulfuratum his accenſere non dubito.

Noviſſime ſedat, qui conſumtionem imponderabilium auget adeoque accumulationem minuit, quod proxime fieri alcalinis, ſupra (*pharm.* §. 272.) poſuimus. Forte et zinci oxydum et biſmuthum nitricum et cuprum ſulfurico-ammoniatum ſimili modo agunt.

185.

Quodſi ab iis receſſeris, quae et diſpoſitionem et cauſſas occaſionales inaequabilis imponderabilium conductionis tollunt, proxime ſedant, quae ſugaciſſimo ſtimulo ſecretiones augent et excretiones; tum quae conſumtionem imponderabilium promovent; noviſſime, quae momentum irritabile erigunt, ut vis ſenſifera decreſcat. Cum autem per ſomnum ſileant rerum externarum impulſus, quiete distribuatur vis ſenſifera, momentum irritabile placide reſtituatur, in ſomno quaerenda eſt inſignis ſedandi vis, quae in omnibus vis ſenſiferae perturbationibus egregie valet. (*phyſ.* §. 386.)

186.

Cum duobus potiſſimum modis vis vitalis exſerat actiones, ſenſu nimirum motuque, doloribus etiam et ſpaſmis irregularis ac nimia vis ſenſiferae intentio patet. Quae doloribus opponitur, ſedans methodus, *anodyna*; *antiſpaſtica* vero dicitur, quibus ſpaſmos debellare ſtudemus *). Quarum utramque generali hac ſedantis methodi denominatione comprehendi poſſe, perſuaſum habemus.

b. *Indicantia.*

187.

Cum dolores, deliria et ſpaſmi ſymptomata ſint, ſymptomaticae curationis emolumenta atque neceſſitas etiam in hanc methodum cadunt. (§. 43. ſ.) Symptomatica tamen curatio complectitur praecipue proximam actionem in alterutrum facultatis vitalis momentum, qua compeſcuntur turbae. Qui vero incitamenta amovet morboſa aut peregrina; qui fibrae diſpoſitionem roborante methodo curat; qui ſtaſes reſolvit abdominales et impetum humorum cohibet, is in cauſſas potius agere quam in ſymptomata dicendus eſt.

*) Veteres tamen antiſpaſtica dicebant, quae ἀντίσπασιν, i. e. revulſionem efficiunt.

188.

Dolores, etiamſi ſaepius ſaluberrimi ſunt, exigunt tamen ſedantem methodum et anodynam, proprie ſic dictam, ſi in tantam gliſcunt atrociam, ut naturae molimina pervertant. Intentio enim ſumma, quam adferunt, placidam virium directionem impedit, oſculaque ductuum excretoriorum obſtringit, ut nulla coctio, criſis nulla contingere poſſit. (*path. gen.* §. 271.) Coctionem igitur promovere, criſin praeparare ſaepius melius nequimus, quam adhibita ſedante, anodyna et antiſpaſtica methodo.

189.

Dolores pariter ac ſpaſmi ſedantem methodum poſcunt, ſi, nobilioribus organis infeſti, periculum augent. Ecquis enim dolorem capitis atrociſſimum aut ſpaſmos, impetum humorum verſus encephalum vehementiſſimum adferentes deſipientiam denique ferocem, tollere medicamentis non ſtuduerit! Maxime, ſi praeceſſerit diſpoſitio eius organi ad virium oppreſſionem: ibi enim periculum in mora eſſe, cuivis patet.

190.

Dolores, deliria et ſpaſmi exigunt methodum proxime iis oppoſitam, ſi vires ocyſſime infringunt, quod praeſertim de ſpaſmis tonicis valet. Hi enim, tetani exemplo, toti corpori infeſti, tantam virium

proſtrationem adferre ſolent, ut brevi exitium adferant. (*path. ſpec.* §. 522.) Nec clonici ſpaſmi ſine noxa ſunt, dum cauſſa nervis principalibus infeſta, capitalem reddit morbum, quod hygrophobiae exemplum oſtendit. (*ib.* §. 533.)

191.

Inſigniter urgent dolores et ſpaſmi, ſi metus exiſtit aliorum morborum eos excepturorum. (*Cf.* §. 45.) Id de epilepſia, chorea S. Viti, tuſſi etiam convulſiva, quamvis per ſe minus periculoſis, valet; in paralyſes, mentis praeſertim aegritudines ipſamque fatuitatem inſanabilem aut apoplexiam abire. (*path. ſpec.* §. 527. 543.) Aſthma convulſivum in hydrothoracem (*path. ſpec.* §. 588.) et phthiſin pituitoſam abit. (*ib.* §. 619.) Id et de deſipientia praeprimis valet. Itaque Galeni praeceptum: *τὸ ἤδη γεγωνὸς ἰατέον, τὸ δὲ ἐσόμενον κωλυτέον*, ſtudioſe exſequi oportet.

192.

Protinus tollere et dolores et ſpaſmos ſedantibus remediis opus eſt, ſi morbi natura ipſa vel plane nos latet, vel adeo inſuperabilis eſt, ut nulli cedat curationi perfectae. Satius tunc eſt, mitigare ſymptomata, levare moleſtias, virium perturbationem proſtrationemque avertere, quam periclitari in curatione inutili. (§. 46.) In morbis graviſſimis, conatus medicorum eludentibus, nil ſupereſt, niſi

dolores compescere, spasmos cohibere, ut placidius vel mors consequatur.

193.

Indicatur haec methodus, si diuturnae spasticae constrictiones absorbtionem impediunt, unde stases oriuntur glandularumque tumores, quibus tollendis nulla alia methodus aptior est. Conii maculati ipsiusque Laurocerasi praestantissima haec est virtus.

c. *Contraindicantia.*

194.

Curationi, quae, remotis incitamentis superatisque obstaculis nervorum turbas sedat, nihil fere repugnat, nisi impedimenta curationis perfectae. (§. 15.) Quae vero proxime agit in momenti utriusque, quo vis vitalis constituitur, ratione, prohibetur saepe, et maxime quidem, si adsunt materiales eiusmodi caussae: impetus humorum, plethora, humorum corruptio: mechanica quoque irritamenta, quae omnia prius arcenda sunt, quam ad ipsam sedantem methodum abiveris. Satius enim est caussis mederi, quam symptomata suffocare, mox reditura, si caussam intactam reliqueris aut morbi indoles eadem manserit. Capitis dolores atrocissimi in typhi initio multo tutius fugantur frigido lavacro, hirudinibus

appositis et acidi muriatici sorbitione, quam iis remediis, quae proxime dolores sedare dicuntur.

195.

Contraindicantur remedia anodyna, si effectus secundarii eorum plus detrimenti adferunt, quam primarii commodi. Cum opium ventriculi vires sufflaminare, digestionem offendere, alvumque segnem reddere, impetum vero versus caput magnopere soleat augere; abstinere eo opus est in infantibus iisque hominibus, qui ante iam laborarunt iis adfectibus, qui facile ex opii usu augescunt. Impedire tamen noxios eos effectus possumus idoneis additamentis, hydrargyro muriatico miti aut radice ipecacuanhae.

Quodsi morbum etiam excitant narcotica, Belladonnae exemplo; dispiciendus est detrimenti inde nati gradus, qui si minor sit morbo praegresso, audaciter est sequenda haec curandi ratio; si maior, deserenda. (§. 7.)

196.

Gravissimum est huius methodi contraindicans, e salubribus naturae moliminibus petitum. Quae cum saepissime dolores adferant spasmosque, hos qui praepostere sedat, naturae nutibus spretis, coctionem impedit crisesque pervertit. Ab eo vitio se-

dulo cavendum eſt, etiamſi aegri doloribus cruciati, cohibitionem anxie poſcant. Medicus, naturae miniſter, nunquam impune leges almae matris perfringit.

197.

Si teneritas fibrae defectusque nutritionis merito arguuntur, et ſuperflua eſt haec methodus et eo potiſſimum nomine nociva, quod etiam magis infirmet vires, ideoque, nutritione labefactata, cauſſam augeat. Multo tutius eſt, victu uti idoneo, vitaeque rationem, habitationem hominumque conſortium mutare, ut conſtitutio plane alia fiat, quam ad tempus tantummodo ſopire tumultus. Hyſtericis mulieribus hominibusque, qui arthritide anomala laborant, nil aeque ſaepius prodeſt, quam itinera, aëris puri montanique uſus, fontium medicatorum balneorumque frequentatio. Haec igitur auxilia redeunt fere ad roborantem methodum (§. 125. 138. 139.) et metaſyncriſin. (§. 177. 178.)

d. *Indicata.*

198.

Graviſſima praeſidia, quae nunquam negligenda ſunt, ſola ſaepe ſufficiunt, quaerenda ſunt in victus ratione. Qui enim incitamenta omnia et externa et interna vitare valet, is melius doloribus obviam

it ſpaſmisque, quam dum largas ingerit opii aut belladonnae aut aliorum eius farinae remediorum copias.

Aëris uſus ſereni, puri, tranquilli, nec nimis aeſtuoſi nec nimis frigidi; cubiculi temperies idonea; lectorum poſitus et compoſitio, quae nullo modo ſtimulos augere poſſit: exercitatio modica: vectio in curru aut equo: itinera iucunda: frictio quoque et mollis membrorum contrectatio: animi quies et ab omnibus perturbationibus immunitas: cibi digeſtu facillimi, blande nutrientes, nullo modo incitantes: potus ſenſus quidem mulcens, ſed ab omni irritante indole alienus: en maximam partem earum rerum, quibus dolores ſpaſmique ſedandi ſunt.

199.

In ſomno conciliando cura omnis omneque ſtudium collocandum, quod et diaeteticis remediis et amoto quocunque incitamento externo optime ſit. Cavendum, ne lux nimia oculos feriat *), ne pictae forte in parietibus imagines **), ne coena lautior, vini aliorumque incitantium potus, ne occupationes brevi ante ſomnum mentem perturbent, ne veſtimenta cubitoria, ſtragula vel culcitae nimis exae-

*) Hipp. vict. acut. 400. Κατακλίνειν ἐς ζοφερὰ οἰκήματα

**) Aret. curat. acut. 1, 1. Ἐρεθιστικὸν τοιχογραφίη.

ſtuent aut duritie offendant. Facillime in ſomnum ire ſolet, qui aëre libero gaviſus fuerit, qui corporis exercitatione feſſus, qui alvum liquidam, ſaltem haud obſtructam habet, qui brevi ante ſomnum lectione vel auditione, nullo modo perturbante fatigatus eſt, qui denique ſonos auſcultat uniformes. *) Nonnunquam ſufficit, eodem corporis ſitu decumbere et quam minime volvere corpus, ut quies ſomnusque accedant.

200.

Sedari inſultus ſpaſticos in iis, qui diſpoſitione ad ſomnambuliſmum gaudent, admotione palmarum, praeſertim praecordiis, aut tractione earum paullo remotiore a corpore, digitis extrorſum verſis; partisque etiam cuiusdam dolores et ſpaſmos compeſci, admoto ſaepius margine palmae inferiori, molliterque inferiore verſus tracto, in ſuperioribus docuimus. (*phyſ.* §. 395.) Huic magnetiſmi artificialis

*) Aret. cur. acut. lib. 1. c. 1. Ὕπνου δὲ ἀγωγὴ ἑκάστου καὶ τὰ ξυνήθεα· ναυτίλῳ μὲν ἡ ἐν ἀκάτῳ κατάκλισις καὶ ἐν θαλάσσῃ περιφορή, καὶ αἰγιαλῶν ἦχος καὶ κυμάτων κτύπος, ἀνέμων τε βόμβος καὶ θαλάσσης καὶ νηὸς ὀδμή· μουσικῷ δὲ ἔτι ἐθισμὸς αὐλῶν ἐφ' ἡσυχίῃ, ἢ ψαλμὸς λύρης ἢ πυκτίδος, ἢ μελέτη παίδων σὺν ᾠδῇ· διδασκάλων δὲ νηπιάχων μύθων προσομιλίη· ἄλλοισι δὲ ἄλλα ὕπνου θελκτήρια.

ficialis applicationi laudes ſuae derogandae ſunt, nec extendendae ad alias tractationes, quae caſum recipiunt. (§. 167.)

201.

Omni cura vero ſtudendum, ut calor nimius minuatur, ut molleſcat cutis, ut impetus ſanguinis decreſcat et alvus laxetur. Quibus perpetratis, quies ſaepe in acutis morbis, remiſſio ſpaſmorum, deliriorum et dolorum ſequitur. Coctionis praeparatio, eaque curatio, quae εὔροα facit ſpiracula, optima ſaepenumero eſt ſedans methodus.

Quod cum nec humectante methodo nec antiphlogiſtica perfici poteſt, lex eſt in acutis morbis, ad fugaciſſimos ſtimulos valerianae, ſpirituum aethereorum et moſchi confugere; quibus cutis functiones reſtitutae turbas nervorum ſape ceſſare iubent. Et ipſi fortiores ſtimuli, oleorum aethereorum et camforae, quin etiam cantharidum cuti impoſitarum, quarum opus omnino eſt, ſi dolores ſpaſmique ſingularum partium cum pulſuum mollitie et cutis laxitate uniuntur, dolores tamen et deliria et ſpaſmos compeſcunt.

202.

Ad ipſa autem narcotica confugiendum eſt, ſi momentum vis vitalis irritabile labaſcit, vi ſenſifera

nimis laceſſita; nulla tamen praeſente cauſſa materiali. Itaque opio utimur potiſſimum, ſi continuae vigiliae, deliria, nervorum diſtentiones cum pulſibus ſpaſticis, exilibus, irregularibus, cum cute arida pallida, lotio etiam turbido aegrum male habent. Anxietas incredibilis cum alvi profluviis aut vomitu irrito nullo prorſus remedio adeo tuto cohibetur, quam opio, cui zincum oxydatum aut hydrargyrum muriaticum mite admiſcetur.

Belladonna et conium et lauroceraſus citra febrilem ſtatum eos ſpaſticos adfectus fugant, quibus ſtaſes producuntur.

203.

Longe alia vis eſt acidi carbonici, quod perturbationes ſolummodo nervorum gaſtricorum, vomiturıtionem et cardialgiam compeſcit, caloremque nimium et bilis corruptionem impedit. (*pharm.* §. 265.)

Alcalina conſumtionem imponderabilium in muſculis accelerare eoque modo ſpaſmos arcere videntur. (*pharm.* §. 273. 274.)

Tandem et zincum oxydatum et biſmuthum nitricum et cuprum ſulfurico-ammoniatum, celebratiſſima antiſpaſtica, incitamento peculiari videntur vires ſuscitare, ut morboſam intentionem ceſſare opus ſit.

Cap. VII.

DE METHODO ANTIPHLOGISTICA.

a. *Modus agendi.*

204.

Cum in calore nimio minuendo ligandoque et in impetu ſanguinis cohibendo haec methodus verſetur, quodammodo cohaerere cum methodo ſedante atque cum ipſa humectante et molliente (§. 102), facile perſpicitur. Namque ſanguinis nimius impetus exponi nequit, niſi ex inaequabili vis ſenſiferae, quae per nervos organicos in vaſa conducitur, distributione nimiaque eius vis intentione. (*path. gen.* §. 76.) Sedantem vero methodum verſari generatim diximus in reſtituenda aequabili vis ſenſiferae diſpenſatione. (§. 183.) Quod cum contingat amotis incitamentis; caloris etiam, incitamentis vulgatiſſimis accenſendi, amotio ſedantis methodi ſpecies eſt.

205.

Itaque haud uno eodemque modo antiphlogiſticam methodum agere patet. Refrigerat enim primum, qui calorem ſenſibilem cogit vaporibus formandis inſervire: quod cum contingit, neceſſario calor ſenſu percipiendus minuitur, capacitate aucta. (*phyſ.* §. 303.) Hinc perſpiratione cutanea et pulmonali increſcente corpus refrigeratur.

Dein refrigerat, qui res ingeri et ad corpus applicari iubet, quibus calor vincitur atque ligatur. Quod acidis fieri, falibus neutris, frigore demum ipfo, notiffimum eft.

Refrigerat, qui incitamenta circuitus minuit et e medio tollit. Hinc, fi fordes primarum viarum evacuantur, fi dolores mitigantur, fi animi adfectus compefcuntur, fi victus tota ratio ita inftituitur, ut nova incitamenta circuitus gigni nequeant, aeftus nimius minuitur.

b. *Indicantia.*

206.

Exigi hanc curandi rationem, fi aeftu nimio corpus exercetur, exploratum habemus. Neceffitatem vero huius methodi perfpiciet, qui fecum perpenderit, nimiam virium intentionem, aeftu manifeftam, pervertere molimina naturae falubria, coctionem ac crifin impedire et in praeceps nonnunquam aegrum dare, ni eam minuamus. (Cf. *phyf.* §. 250. *path. gen.* §. 30. *therap. gen.* §. 29.)

Hinc non folum in inflammationibus activis, dum nondum fucceffiones inftant, fed in febribus exanthematicis aliisque ardentibus, continuis, ante ἀκμὴν, et in ea ipfa, magni momenti eft, methodo antiphlogiftica uti, ut naturae vires a turbis nimiae

intentionis deflectantur et crises praeparentur. Eadem enim commoda, quae de humectante methodo et molliente laudavimus, (§. 102.) etiam de hac praedicari possunt.

207.

Nec ad febrium acutarum curationem haec methodus duntaxat commodanda est, sed ad diuturna etiam mala, quae nimia vis sensiferae per calorem intentione exasperantur, inflammationibus obortis vel spasmis vel deliriis etiam. Haec symptomata nonnunquam optime tolluntur refrigerante methodo, dummodo compertum habeamus, calori nimio tribuenda ea esse.

c. *Contraindicantia.*

208.

Quae supra iam de detrimentis methodi humectantis dicta sunt (§. 104 — 107.), optime et ad hanc methodum applicantur.

Nocet enim, si, neglectis caussis et virium ratione, soli caloris minutioni studemus, ubi caussas incitantes prius amovere et vires firmare expedit. In febrium malignarum progressu haud continuanda est methodus antiphlogistica, ne vires prosternantur.

Cum negari nequeat, in calore ipso salubris aliquid esse, cuius ope molimina naturae perficiantur,

(§. 106.) caloris eius critici indoles curiose investigetur, ne praepostere supprimatur. Verissimum enim est Galeni effatum: „si perfecta quies futura „est, oportere magnam et validam adfectionem prae„cedere solutioni.“ *) Et antiquus auctor ait: „Ae„stum et ardorem extremum continere aegrum ad „certum temporis terminum, donec, quae fluere „debent, coquantur et crassiora fiant.“ **)

d. *Indicata.*

209.

Aestus nimius tutissime minuitur, dum cavemus ab omnibus rebus, quae incitare vasa sanguifera valent. Itaque victus rationem, quae sedantem methodum adiuvat, partim et hic commendare licet. (§. 198.)

Curiosissime renovandus est cubiculi aër, ne vel inquinetur vel nimis excalescat. Sicut enim experientia docuit, aëre corrupto magnopere incitari febres, ita aërem purum, ob oxygenis adfinitatem

*) Galen. de dieb. crit. lib. 1. c. 1. Χρὴ, εἰ μέλλοι βεβαίως παῦεσθαι, μέγα τι καὶ ἰσχυρὸν νόσημα προηγεῖσθαι τῆς λῦσεως.

**) Hipp. de veteri med. Καῦμα καὶ φλογμὸς ἔσχατος κατέχει μέχρι τινὸς, μέχριν ἂν τὰ ῥεύματα πεφθῇ καὶ γενηται παχύτερα.

erga calorem (*pharm.* §. 258.), mitigare aeſtum febrilem compertum habemus. Ita et neceſſe eſt, ſtragulis veſtimentisque uti cubitoriis, quae minus valeant exaeſtuare.

Ciborum potuumque et ipſorum medicamentorum inſignis vis eſt, calorem augendi: itaque in his commodandis omnis cura adhibenda, ne ullo modo aeſtum producant. Leviſſimis utendum eſt cibis vegetabilibus, potibusque humectantibus (§. 111.), quique dum leniter alvum ducunt et lotium, calorem minuere valent.

Animi nimia intentio mentisque perturbationes ſedulo vitandae, quibus mirum eſt, quantopere ſyſtematis ſanguiferi vis ſenſifera ſaepe accendatur.

Somnum conciliare ſaepe prodeſt, ut calor minuatur: eo enim placari vitae functiones ſanguinisque praeprimis impetum ſedari exploratum habemus. (*phyſ.* §. 384.)

210.

Sanguinis impetus, quo aeſtus cietur, vario modo minui poteſt. Sine ambagibus id fit venae ſectione, aut ſi topicus aeſtus nobiliorum partium urget, hirudinibus vel ſcarificatione. Compeſcitur tamen etiam ſanguinis impetus localis ſalibus metallicis et plumbi et hydrargyri, qui tum conſtringere vaſa minima tum abſorbtionem augere valent.

Plumbum igitur aceticum (*pharm.* §. 341.) et hydrargyrum muriaticum mite (*ib.* §. 325.) praeſtantiſſimis antiphlogiſticis adnumeranda ſunt.

211.

Magnum eſt huius methodi adminiculum in excretionibus promovendis quaerendum. Tum enim amoventur iis incitamenta morboſa, tum, aucta meatuum pervia indole, humorum in vapores transitus augetur, quo facto calor decreſcere debet. Itaque et alvus mollienda eſt et laxanda, lotii fluxus promovendus, cutis demum hactenus mollienda eſt, ut perſpiratio increſcat. Quod cum opio nonnunquam et balneis tepidis perficiatur, quanta his inſit vis antiphlogiſtica, patet.

212.

Id eximie ſaepe iis contingit, quae calorem attrahunt ac ligant. Quibus oxygenes ac acida merito adiudicantur, unde et acida mineralia aqua diluta et vegetabilia ſorbere et ſales etiam neutros, nitrum maxime; blandiores etiam, kali aceticum et tartaricum, tartarum natronatum, et boraxatum, tartarum depuratum et natrum ſulfuricum, aquae copia idonea ſolutos propinare opus eſt.

SECT. III.

DE HUMORUM MUTANDA VEL COPIA VEL INDOLE.

Cap. VIII.

DE DIRECTIONE HUMORUM MUTANDA.

a. *Modus agendi.*

213.

Ducere humores in averſam partem, maxime vero ab internis ad externa vocare, a ſuperioribus ad inferiora, ſaepe neceſſarium eſt, cum morbi vi nobiliora organa interdum ita obſideantur, ut capitalis fiat morbus, ni hac methodo ſuccuratur. *Revellere* autem, ſeu ἀντισπᾷν, ex antiquiſſimis temporibus dicitur, qui in contrariam partem ducit, ſi quae, quorſum non debent, feruntur; ſi autem, quorſum decet, his aperit vias, ad quas quaeque vergit materies *). Idem et ἀποκρούεσθαι, ſ. *repercutere*, ab uno loco in varia dispellere vocabant **). Ratione loci,

*) Hipp. epid. lib. 6. ſ. 2. p. 1170. Ἀντισπᾷν, ἢν μὴ, ᾗ δεῖ, ῥέπει· ἢν δὲ ὅπῃ δεῖ, τουτέοισε δεῖ στομοῦν, οἷ ὡς ἕκαστα ῥέπει.

**) Galen. ſimpl. med. fac. lib. 5. p. 63.

in quem illiciantur humores, dicebatur ἕλκειν, *trahere*, *derivare*.

214.

Id autem artis praesidium, ut et vetustatis auctoritate sanctum et quotidiano usu comprobatum, ita gravissimis nititur praeceptis et physiologicis et pathologicis. Cum enim stimulos sequantur humores, a stimulis localibus etiam pendere impetus humorum s. congestiones, certum est. (*path. gen.* §. 77.) Cum praeterea stimulorum duorum eumdem organismum occupantium alter duntaxat possit actionem suscitare, alter vero, plerumque debilior, supprimatur aut frangatur (*phys.* §. 71.); artis praesidia eo praecepto fulciuntur, quae stimulo artificiali iubent morbosum supprimere. Accedunt leges antitheseos, adsociationis et sympathiae (*phys.* §. 72 — 74.), quibus nexus organorum stabilitur, quo utimur, dum, altero incitato atque secretione eius aucta, in altero supprimitur et aboletur morbosa activitas.

His igitur potissimum legibus nitimur, si directionem humorum convertimus in alia loca, quam quae, morbi vi compulsa, petunt. Consensui et sympathiae praecipue studendum est, ut, quaenam loca cum adfectis, vel nervorum vinculis vel simili fabrica cohaereant, pateat. Antagonismo etiam et antithesi opera danda est, ut ad convenientia loca illiciantur, quae nobiliora obsident.

215.

Morborum universalium conversio in locales, utilissima saepe, dum natura eo vergit, hac ratione perpetranda est. Quodsi enim, decrescente iam universali incitatione, chemicam efficaciam, apertis viis, quod πορoποιεῖν Galenus vocabat, augemus, secretionesque novas separare studemus, (*path. gen.* §. 30.) omnino cessat morbus universalis.

b. *Indicantia.*

216.

Necessariam esse revulsionem s. *ἀντίσπασιν*, atque ad alia loca ἕλξιν s. derivationem, cum nobiliora organa vi morbi obsidentur, per se patet. Oportet tamen distinguere humores irruentes variasque eorum vias observatione cognoscere, ut, quo vergant, quibusque locis vel attrahendi vel evacuandi sint, efficiatur. Sanguinis impetus vel caput vel pectus obruens venae sectione; secretiones morbosae in tunicis viscerum mucosis ad cutis mucosum rete trahuntur; colluvies aquosa in tunicis serosis vel lotio vel sudoribus tollitur.

217.

Itaque in inflammationibus revulsio tentanda, dum singula tantum organa obsidet, dum in tunicis mucosis viscerum sedem habet, quas liberatum iri

ſpes eſt, ſi in externis tunicis mucoſis ſimiles ciemus adfectiones. Rheumaticae igitur et catarrhales inflammationes huic methodo potiſſimum cedunt.

Nec inutilis eſt ea curandi ratio, ſed ſumme proficua in iis inflammationibus, quae et ortum et moram vis ſenſiferae, quae in nervis organicis reſidet, inaequabili distributioni debent, ſeu nervoſis. Ibi enim, incitatis locis ſecretioni dicatis, ſeparatisque ope chemicae efficaciae adauctae (§. 215.) non ſolum revellitur inflammatio a nobilioribus organis, ſed univerſalis morbus etiam decreſcit.

Magnopere demum urget neceſſitas eius methodi, ſi inflammationes ex adfectu cutaneo ſuppreſſo, exanthematibus, ſudoribus ulceribusque repulſis originem duxerunt. Nihil tum ſupereſt, niſi revellere et ducere humores ad priſtinum locum.

218.

Similia indicantia in variis aliis febribus valent. Si quid enim nobiliora organa obſidet, quod vel antea cutem occupaverat, vel facile in cutem ducitur, eo vocare decet. Febres omnes, quae rheumaticis aut catarrhalibus ſtipantur adſectibus, aut quae *παλίμβολοι* ſeu vagae ac variae ſunt, *μεταβολαῖσι* curari, ſeu iis mutationibus, quae revulſione nituntur, antiquum eſt praeceptum *). Hinc *φοινιγμοῖς*

*) Hipp. epid. lib. 6. ſ. 6. p. 1190.

et veſicatoriis aliisque id genus epiſpaſticis febres curamus non ſolum rheumaticas et catarrhales, ſed nervoſas etiam, dummodo incitatio univerſalis haud adeo conſpicua fuerit.

Tempeſtive autem adhibemus hanc curationem, vel protinus in initio, ſi nondum penitus formatus morbus omnem infeſtaverit organiſmum, aut in decremento, maxime vero poſt coctionis ſigna, ubi ſemet remiſit univerſalis incitatio.

219.

Profluvia ſanguinis aliorumque humorum revellente methodo curantur, ſi ex aliis profuſionibus orta plura adferunt damna, quam e quibus nata ſunt. Sic haemoptyſis ex haemorrhoidibus aut menſtruo ſanguine repercuſſis orta, revocandum eſſe ſanguinis impetum verſus priora loca urget. Pariter etiam alvi profluvia ipſaque dyſenteria revulſione curantur, ſi e ſuppreſſa perſpiratione cutanea nata ſunt.

Praeterea neceſſaria ſaepe eſt revulſio, ſi profluvia adfectione nervorum ſuſtinentur; quae ſi *παλίμβολος* eſt ac modo huc modo illuc vergit, cohiberi poteſt, cum in organo minus ad vitam neceſſario ſeceſſum chemicum per auctam ſecretionem promovemus, ut dynamica intentio ceſſet. (*path. gen.* §. 30.)

220.

Morbi doloribus ſtipati revellente methodo curantur, ſi dolores, quibus ſalubris aliquid ineſt et critici, ob errorem naturae aut infractionem, in idoneis locis haud perficiuntur, neque in ſeceſſum humorum ac morboſas ſecretiones abeunt. Auxilium ferre naturae expedit, ut devia rurſus in rectum tramitem revocetur. In arthriticis adfectibus vulgatiſſimum eſt praeceptum: revocandum eſſe morbum ad articulos, ſi quid ex iis in interna viſcera abſceſſit: alii etiam dolores nobiliorum partium ſilent, cum articularis morbus idoneo modo decurrit.

221.

In ſpaſticis adfectibus revulſio tentanda eſt, ſi ex adfectibus cutaneis aut perſpiratione naturali ſuppreſſis orti nobiliores partes obſident. Excitata rurſus ſcabie repercuſſa ſpaſmi ſilent ex ea nati. Sic tetanus, qui in tropicis regionibus e refrigerio oritur, iisdem remediis curatur.

Spaſmi tamen et ab hac cauſſa alieni, *ἀντισπάσει* ſaepenumero rite curantur, dum ſperandum eſt, fore ut aucta per revulſionem chemica efficacia, intentio dynamica morboſa ceſſet. Salivatione epilepſiam ſolvi haud novum eſt: nonnunquam et purgantibus curata fuit: ſaepius etiam ulceribus et uſtione,

quam veteres iam Graeci et Arabes magnopere laudarunt.

222.

Pari ratione et mentis morbi revellentibus curantur: praecipue vero, qui e cutaneis adfectibus repercuſſis ortum duxerunt, ſcabiei inſitae exemplo, qua melancholiam fugatam eſſe meminimus. Idem morbus, ex impetu ſanguinis aliunde caput irruentis natus, venaeſectionibus tollitur. (*Aret. cur. chron.* lib. 1. c. 5.)

Nec abſonum eſt, excitatis per alia organa humorum ſecretionibus ſenſorium commune liberare. Hinc purgantia fortiora, veſicatoria etiam et quae exanthemata proliciunt, in melancholia commoditates plures imo ſanitatem adferre compertum habemus.

223.

Tandem et in variis cachexiis utiliſſima eſt revulſio, dum vel incipiens ulceratio viſcerum deſtructionem eorum minitatur, vel colluvies adeſt aquoſa aut lymphatica, dum nondum firmata eſt, aliorſum movenda. In phthiſi incipiente fonticuli, cortex mezerei cuti impoſitus, provocata per unguentum e tartaro ſtibiato ſcabies, ſalivatio ipſa nonnunquam profuerunt. (*Portal mém. ſur la nature et le traitement de pluſ. malad. vol.* 2. p. 75.) In hydrope

incipiente expediunt interdum purgantia, ſalivatio, exanthemata arte excitata.

224.

In omnibus morbis natura ipſa nos docet productis morbis localibus, quam gravis ſit ac neceſſaria haec curandi ratio.

Inflammationes pectoris natura ſolvit miliaribus aliisque exanthematibus, eryſipelate etiam et diarrhoea (*path. ſpec.* §. 243); dyſenteria cum rheumatiſmis alternat, ut ceſſantibus his illa oriatur, curetur vero ſoluto rheumatiſmo: eadem viciſſitudo exanthematum rodentium et dyſenteriae obſervatur. (*ib.* §. 411.) Arthritidem naturae ope penitus ſolvi, haemorrhoïdibus alvique profluviis diuturnis, docuimus. (*ib.* §. 457.) Morbos etiam ſpaſticos, epilepſiam praeprimis et hyſtericos adfectus ſimilibus naturae adminiculis ſolvi exploratum habemus, ut et ulcera ſponte orta et alvi profluvia in epilepſia ſalubria ſint.

c. *Contraindicantia.*

225.

Quae quanquam veriſſima, plures tamen admittunt exceptiones. Primum enim in hoc conſilio nihil antiquius et gravius, quam naturae nutibus obtem-

temperare: quo haec vergit, eo humores dirigendi ſunt. (§. 31.) Itaque hac abutitur methodo, qui ad libitum plane humores dirigit, neglecta naturae proclivitate, neglecto popularium morborum ingenio. Nonnunquam tamen et ipſis naturae nutibus haud protinus obtemperandum eſt, ſiquidem natura molitur ſaepius, quod artis imitationem reſpuit. (*path. ſpec.* §. 372. *therap. gen.* §. 30.)

Peccat contra hanc regulam, qui, ſecretione quadam, quae forte ſalubris eſt, repreſſa, aliam, a naturae viis alienam ſuſcitare ſtudet.

226.

Dein prohibetur haec methodus, quamdiu univerſum corpus incitatione nimia occupatur. In febris acutae vigore et incremento eo minus haec ratio adhibenda eſt, quo minus ſemet febris remittit, quoque magis intenditur totum corpus. Differenda igitur eſt haec methodus in id tempus, ubi, decreſcente morbi vigore, natura ipſa proclivitatem oſtendit ad adfectus locales.

Pariter etiam inflammatio et dolor et ſpaſmus, quo vehementiores ſunt, quoque magis univerſum corpus in conſenſum trahunt, eo minus revellente methodo tractantor. Arthritidis activae inſultus ſibi potius committendus eſt, quam revulſio tentanda.

227.

Abutitur etiam hac methodo, qui uno eodemque modo revellere humores varios aut derivare ſtudet. Siquidem ingens eſt diſcrimen inter blandiſſimum modum, fluxum menſtruum interceptum vaporibus calidis balneisque pedum tepidis reſtituere ac inter eum, qui ſcarificationibus aut remediis violentis draſticisque adlicit ſanguinem. Expedit, naturam aegroti, morbi ingenium viriumque rationem ſedulo comparare, priusquam modum ac rationem revulſionis indicaveris.

d. *Indicata.*

228.

Fortiſſimum revellentium remediorum Galenus vocabat venaeſectionem, cui ſententiae quanquam haud omnino adſtipulamur, ſatis tamen commodum habemus adminiculum, ut ſanguinis impetus ex aliis locis in alia dirigatur. In contentionem olim venit acerrimam vis ſectionis venarum loco adfecto proximarum; ad dirigendum ſanguinis curſum. Namque, qui Hippocratem ſequebantur, prope a loco inflammato, venas cubiti ſecare in pleuritide conſuerunt; qui Aretaeum, (*curat. acut. lib.* 1. *c.* 10. *κρέσσον γὰρ ἀπωτάτω ἄγειν.*) Archigenem (*Aet. tetr.* 2- *ſerm.* 4. *c.* 68.) et Arabes, e remotiſſimis locis ſanguinem mittere maluerunt. Quam litem, ſeculo decimo

ſexto celeberrimam ita optime compoſuit Argenterius (*comment.* 3. *in Galen. art. med.* p. 415. 420.), ut primum diſpiciendum eſſe doceret, unde impetus ſanguinis in inflammatione venerit: proximam autem eius partis, unde irruerit ſanguis, venam ſecandam eſſe: ſi vero proxime a loco ipſo adfecto ſanguinem miſeris, magis etiam attrahes ſanguinem. Quod nullibi manifeſtius eſt, quam in ophthalmiis. Qui enim hirudines prope ab oculo adfecto admoverit, mox animadvertet, inflammationem oculi graviorem fieri; multo leviorem vero, imo mox ſolvi, ſi e remotis locis ſanguinem miſerit.

Itaque in vena ſecanda omnino refert, locum eligere, cum inciſio venae liberiorem adfluxum ſanguinis producat: delectum vero venarum ipſarum merito negligimus, utpote cum ſanioribus anatomiae cognitionibus haud congruum. Pariter et de ſcarificatione et de hirudinibus indicandum, quibus omnino revellitur ſanguis a partibus iis, in quas praeter naturam irruit. Maxima autem vis revellendi ineſt ſcarificationi, quam ἐγχάραξιν Graeci vocitabant, tum ad inflammationem a loco nobiliori avocandam, tum ad rheumaticos etiam impetus avertendos, tum demum ad reſtituendum menſtruorum fluxum et haemorrhoïdum. Egregiam habet haec methodus vim ad inſtaurandam cutis functionem normalem, ſi diuturnis laborat exanthematibus; maioribus noſtris

ſatis commendata, a noſtrae aetatis medicis perperam neglecta.

229.

Praeſtantiſſimis antiſpaſticis adnumeranda ſunt emplaſtra et unguenta e cantharidibus; quae, dum inflammationis ſpeciem in cute cient, ſecretionem incitant et per conſenſum ac antagoniſmum pravae ſecretioni in nobilioribus partibus finem imponunt. (*pharm.* §. 149.) Unde proficua maxime ſunt in inflammationibus rheumaticis et paſſivis, in doloribus et ſpaſmis eidem cauſſae tribuendis. Poſſunt etiam impetum ſanguinis a capite avertere, ſi e cauſſa nervoſa ortus fuerit: ubi ſatius eſt ea a cute amovere protinus ut φοινιγμὸν excitarunt, priusquam veſica ſero depravato repleta nata fuerit.

Revulſioni inſerviunt et epithemata e radicibus Armoraciae, ſeminibus Sinapis et Capſici (*pharm.* §. 154.), maxime, ſi ſecretionem cutaneam augere minus in animo eſt, quam, cute irritata, loca nobiliora liberare.

230.

Magna revellendi vis ineſt purgantibus, quod Galenus de attrahente verſus inteſtina facultate intellexit *). Incitatis inteſtinis attrahunt omnino humo-

*) Galen. de ſimpl. medic. fac. lib. 5. p. 64. Πάντα γὰρ ὅσα καθαίρειν κατέλεξα, δύναμιν ἑλκτικὴν ἔχει.

res aliorſum ruentes, eosque a nobilioribus organis revellunt. Hinc maximi uſus ſunt in diuturnis morbis a colluvie ſeroſa ortis; in melancholia ipſa capitisque et oculorum adfectibus, a pravorum humorum impetu ortis; in menoſtaſia, ubi ad reſtituendum menſtruum fluxum omnino aliquid conferunt; in morbis cutaneis, ut revellatur a cute, quidquid pravam patitur ſecretionem. Quantopere iuvent plurimas alias aegritudines, Hamiltonius uberrime docuit. (*obſerv. on the utility of purgative medic. in ſeveral diseaſes, Edinb.* 1806.)

231.

Quemadmodum frigoris vis eſt maxime repercutiens, contractis partibus; ita calor, expanſis vaſis ipſisque humoribus, potenter attrahit. *) Utriusque facultatem adhibemus in graviſſimis deliriis, quae typhum comitantur, dum aquam frigidam capiti repente infundimus, reliquum corpus vero aqua calida fovemus. Lotio autem manuum pedumque calida praeſtantiſſima eſt ad avocandum e ſuperioribus partibus ſanguinem.

*) Galen. l. c. p. 63. Ἕλκει μὲν γὰρ ἀεὶ τὸ θερμὸν, ἀποκρούεται δὲ τὸ ψυχρόν.

Cap. IX.

DE MOTU SANGUINIS HUMORUMQUE ACCELERANDO.

a. *Modus agendi.*

232.

Motus humorum omnis cum a mutua actione fluidi contenti et vaſorum continentium pendeat, augendus eſt et accelerandus iis rebus, quae viciſſitudinem utriusque momenti confirmant, vaſorumque vires inprimis excitant. Itaque, ſi ob laxitatem partium ſolidarum motus humorum tardatur, adſtringente; ſi ob duritiem et ſiccitatem, molliente; ſi propter energiae defectum, roborante; ſi e vis ſenſiferae torpore, incitante utimur methodo; ſi denique ſpaſmis forte vaſa conſtricta ſunt, paregorica et ſedans methodus exigitur. Quibus efficitur, quam varia ſit ratio, qua finis huius methodi obtinetur.

233.

Cum ſtaſes ſeu ſtagnationes dicamus motus humorum iuſto tardiores, *reſolvere ſtaſes* eſt motus humorum ſtagnantium accelerare. Itaque de reſolventis methodi variis et ſaepe ſibi contrariis modis idem ſentiendum. Staſes autem eae cum vel in venis, vel in vaſis abſorbentibus, vel in capillaribus vaſis

et in ipſis glandulis praecipuam habeant ſedem, in haec omnia organa agi, cum ſtaſes ſoluturi ſumus, ſaepius quoque ſolam abſorbtionem promoveri, palam eſt. (*Cf. path. gen.* §. 80 — 84.)

234.

Exoluit autem noſtris temporibus informatio illa reſolventis methodi, quae mechanice eam agere comminiſceretur. Maiores enim noſtri, acicularum figuras in ſalibus fingentes, incidere hos et findere ſpiſſos humores crediderunt; cui commento, quamvis id vulgo medicorum etiamnum placeat, nemo tamen favebit, qui corporis oeconomiam rite cognitam habet.

b. *I n d i c a n t i a.*

235.

Motus tardior cum frequentiſſimus ſit, huius methodi etiam ampliſſimus eſt campus, plurimisque morbis aptus, qui e ſtaſi humorum originem ducunt.

Quamlibet in arteriis loci inflammati et vaſis capillaribus motum eſſe acceleratum non dubitem, tardiorem tamen motum ſequi inflammationem, nuper e Thomſonii inveſtigationibus curioſis (*lectures on inflammation. Edinb.* 1813. p. 80. in *Meckels*

Arch. für Phyſ. 1. p. 446.) didici. Itaque et in discutienda inflammatione, maxime ſi localis fuerit, reſolventem adhibemus methodum.

236.

Frequentiſſima autem ſedes ſtagnantis ſanguinis humorumque eſt in vena portarum, eiusque ramis viſcera abdominalia perreptantibus. Quae cum in plurimis morbis accuſanda ſit, enumerare libet eos, in quorum curatione potiſſimum reſolvendae ſunt eae ſtaſes abdominales.

Et primum quidem febres intermittentes eae, quae, magis compoſitae, e ſtaſibus abdominalibus originem ducunt, reſolvente methodo tractandae ſunt; (*path. ſpec.* §. 37.) quamvis haec in ſimplici eo morbo damni plus quam emolumenti adferat. Febres catarrhales et rheumaticas, dum frequenter recurrunt, ex eadem naſci diſpoſitione docuimus (*ib.* §. 63. 73.): hinc reſolvente methodo recte intellecta optime debellantur. Febris lenta nervoſa, quae ſaepe ex atonia viſcerum abdominalium et ſtaſibus originem ducit (*ib.* §. 86.), inſigne accipit adminiculum ex eadem curandi ratione.

Exanthemata chronica, inprimis ſcabies et herpes, curari ſaepius nequeunt ſine reſolvente methodo, cum e ſtaſibus abdominalibus ortum ducant. (*path. ſpec.* §. 363. 368.)

Sanguinis profluvia, maxime haemorrhoïdum fluxus et metrorrhagia interdum ex eadem cauſſa naſcuntur, (*ib.* §. 394. 398.): unde eadem methodus non raro prodeſt. Frequentius vero ſanguinis menſtrui ſuppreſſio cum ſtaſibus abdominalibus cohaeret: itaque reſtituit cum fluxum, qui tardum ſanguinis motum per vaſa abdominalia accelerare poteſt. (*ib.* §. 441.) In fluore albo curando ſaepiſſime ſtaſium ratio habenda eſt, cum quibus conſiſtit. (*ib.* §. 455.)

In arthritide anomala eiusque ſequelis ratio praeprimis ſtaſium eſt abdominalium habenda, cum omnis malorum caterva cum hoc viſcerum ſtatu cohaereat. (*ib.* §. 459.)

Nec adfectuum nervoſorum curatio ſaepius aliena eſt. Quippe apoplexia (*ib.* §. 492.), epilepſia (*ib.* §. 530.), hypochondriaci inprimis et hyſterici adfectus (*ib.* §. 551.); mentis etiam morbi, maxime melancholia (*ib.* §. 566.) ex illo potiſſimum fonte manant.

Denique in cachexiis curandis inquirendus praeprimis eſt ſtatus viſcerum vaſorumque abdominalium torpidus, cum quo et colluvies hydropica et phthiſis pituitoſa ac tuberculoſa et ſcrofuloſi adfectus frequenter cohaerent.

237.

Quae ſedes ſtagnationum quanquam frequentiſſima ſit, alia tamen, et ſatis quidem vulgaris in vaſis abſorbentibus et glandulis quaerenda eſt. Earum partium torpor aut ſpaſtica conſtrictio hydropibus et ſcrofulis atque rachitidi occaſionem praebet, quibus igitur reſolvens methodus opponenda eſt.

c. *Contraindicantia.*

238.

Quae ſi probe perpenduntur, comparata inprimis cum modo agendi expoſito (§. 232 — 234.); neſcio an unquam, indicantibus rite ſtabilitis, aliquid huic methodo contrarium eſſe poſſit. Neutiquam enim uni curandi rationi adhaeret, qui reſolvendas eſſe ſtaſes ſibi proponit; ſed modo robur amiſſum reſtituit, iam laxas partes adſtringit aut duras mollire ſtudet, nunc vim ſenſiferam incitat, mox ſpaſmos ſedare ſatagit: iam metaſyncriſin molitur, ſi labes diuturna eſt et pervicax; denique interdum ἀντίσπασιν in auxilium vocat, ut, aliorſum directo humorum curſu, nova ſuboriatur incitatio.

239.

Circumſpectionis tamen curioſae opus eſt in ſtaſibus inveteratis, ne ſolvantur humores, qui facile

in praviſſimam corruptionem mutari poſſunt. Sicut id praeceptum vel maxime in ſcirrhoſa glandularum duritie valet, ita et commendandum eſt in iis ſtaſibus, quae per multos iam annos moratae aliter mutari nequeunt, quam in aegrorum perniciem.

240.

Aliud eſt damnum e male intellecto curationis huius conſilio naſcens. Qui enim medicamentis, quibus ſpeciatim vim reſolventem tribuimus, morbos diuturnos adſiduo agitat, ſolidarum partium compagem diutino incitantium uſu infirmabit, teneritatemque adeo augebit, ut ſpaſtici adfectus ſaepenumero ſequantur hanc curationem.

Proſpiciendum etiam eſt impetui ſanguinis in alias partes, qui non raro cum ſtaſibus iunctus eſt. Temere congeſtiones exaſperat, qui vel reſolventibus, quae incitant, vel iis, quae roborant aut adſtringunt, ſtaſes diſcutere conatur. Sic haemorrhoïdum curſus nimius, ſic ipſae metrorrhagiae medicamentis reſolventibus in peiorem indolem vertuntur, niſi rationem habueris congeſtionum verſus eas partes; niſi inprimis plethorae commotae obviam iveris. Itaque obſtacula huius curationis prius removenda ſunt, quam ipſam adhibueris.

d. *Indicata.*

241.

Ex iis, quae modo dicta ſunt, liquet, quam late pateat curationis huius utilitas, quantaque ſit praeſidiorum varietas.

Princeps autem regula eſto: Victus rationem et in hac curatione inſtituenda multo plus valere, quam medicamenta, tum quia toti corporis conſtitutioni, mutata penitus victus ratione, aliud impertitur ingenium, tum quia vires, medicamentis, quamvis idoneis, continuo ſollicitatae atque infractae, victus ratione ſervantur.

242.

Exercitatio autem corporis motusque vel activus vel paſſivus optimum eſt auxilium, quo motus humorum acceleratur. Frictio tumorum, praeſertim medicamenta per ſtrigilim inſtillata (*Celſ.*) in hydrope, oedematibus et ſcrofulis optimum ſaepe offerunt auxilium. Nihil aeque iuvat hypochondriacos aliosve, ſtaſibus abdominalibus laborantes ac equitatio: itinera et navigatio magnopere proſunt. (§. 139. 198.)

243.

Cum et in cibis magna vis ſit, eligendi ſunt, quos Celſus e medica materia dicebat, ſimplices,

concoctu faciles, ſine aromatibus exaeſtuantibus parati. Vitanda iuſcula carnium nimia, quae mollire potius et relaxare ſtomachum ſolent. Commendanda ſunt legumina iuniora, ſeminibus liquorem amnii adhuc continentibus, radices Dauci, Siſari, Tragopogonis, Scorzonerae, ceteraque vegetabilia, quae ſupra (§. 136.) in roborante diaeta collocavi. Pariter et de carnibus et lactis uſu iudicandum. (§. 134. 135.) Inſignis vero vis et ovis recentibus et ſero lactis ineſt, quibus ſtaſes abdominales ſolvantur.

244.

In potibus eligendis vinum gallicum rubrum, leve, fragrans ceteris praeferatur; quod cum aqua miſcendum, ſi forte nimis exaeſtuat. Vitandi liquores ſpirituoſi, vina acida, theae potus, coffeae etiam largus: prohibenda cereviſia, niſi lupulo bene condita ac fermentationem diu iam paſſa.

245.

Quod medicamenta ipſa attinet, praecipue commendanda ſunt, quae extractiva parte vel dulci vel amara gaudent. Illa, radicis graminis exemplo, blandiſſime ſolent ſtomachum et inteſtina agitare, ut motus humorum acceleretur. (*pharm.* §. 41.) Haec ſimul roborant potentiusque incitant. Succi recens expreſſi Taraxaci, Fumariae, Marrubii, Car-

dui benedicti, Trifolii fibrini, Centaurii minoris, aliarumque herbarum verno tempore fumti, quibus interponitur ferum lactis, elixiria etiam roborantia, magnam habent vim ad folvendas etiam diuturnas ftafes. Si defunt fucci recens expreffi, extracta earum herbarum iungenda funt, pro varia partium folidarum adfectione vel cum fedantibus, (Afa foetida praeprimis et Caftoreo) vel cum refinofis acribus volatilibus (Chelidonio maxime maiori, radice Saponariae et ftipitibus Dulcamarae) vel cum fapone aut ferreis medicamentis.

246.

Clyfmatum ufus quotidianus in his morbis magnas noftra memoria obtinuit laudes. Coquuntur autem e variis herbis, quae vel mollire duntaxat tractum inteftinalem valent fpafmosque fedare, vel leniter etiam incitare ac roborare. Si ftricta funt inteftina, fpafmisque agitatur aeger hypochondriacus, e furfuribus cum feminibus Lini, herbis Verbafci, Althaeae, Mercurialis aut Malvae, additis etiam oleis blandis; fi vero vifcerum vaforumque torpor vincendus eft, ex herbis Taraxaci, Millefolii, Fumariae, Cardui benedicti, Trifolii fibrini etc., additis falibus neutris blandioribus, kali tartarico et acetico, clyfmata componuntur. Nonnunquam prodeft, et balfamico-adftringentia, ut radicem Caryophyllatae, et aethereo-oleofa, ut corticem Cafcarillae, adiungere.

Quodſi his remediis alvus et inteſtina ſaepius eluuntur, emolumenta plura e proxima admotione eorum ad loca adfecta naſcuntur: namque ſaepius et in inteſtinis craſſis ſordes immobiles haerent et in ramis venae portarum haec inteſtina perreptantibus ſtaſes quaerendae ſunt. Praecipua vero ſpes collocanda eſt in effectu, quem in nervis inteſtinalibus producunt, quique facillime ad reliquos nervorum plexus propagatur.

Haud tamen negandum eſt, clyſmatum uſum quotidianum atque diu continuatum, ſi e ſolis mollientibus rebus componuntur, inteſtina nimis mollire ac debilitare, unde ſatius eſt et roborantia addere et clyſmatum uſum per aliquod tempus interrumpere.

247.

Roborantia, balſamico-adſtringentia et ipſa martialia in uſum vocanda ſunt, quoties torpor viſcerum laxitasque vaſorum abdominalium praevalent, cum pituitoſa colluvie, flatibus continuis et fluore albo: vitanda tamen in teneritate partium et ſpaſtica diſpoſitione. Corticem peruvianum aut glandes quernas magnopere prodeſſe experientia docuit. Aquae etiam ſoteriae martiales merito commendantur in ea diuturna laxitate, quae in cachecticum abitura eſt ſtatum. In ferri ipſius praeparatis officinalibus praeſtantiora ceteris ad hunc finem obtinendum ſunt

ferrum tartarisatum, malicum etiam et aceticum, aut muriaticum cum baryte muriatico.

248.

Saepius tamen incitantibus, quae proprio sensu ita dicuntur, maior fides habenda est. Eorum autem nonnulla specifica sunt, hydrargyri praesertim muriatici mitis exemplo, quod parvis dosibus exhibitum, systematis absorbentis torporem tollere; absorbtionem potenter promovere et stases glandularum reserare valet. Barytes etiam muriaticus eidem fini inservit.

Nec sine insigni laude dimittendum stibium, cuius oxydula, hydrogeni sulfurico nupta, egregiam habent et fere specificam vim ad incitandum motum vasorum lymphaticorum et capillarium. Sulfur stibiatum aurantiacum, sapo stibiatus, calcaria sulfurato-stibiata, stibium quoque sulfuratum nigrum, in omnibus eiusmodi morbis utilissima sunt: potentissimum connubium stibii cum hydrargyro in pilulis Plumerianis.

Mitior est, neque minus salubris sulfuris usus, quo, maxime si thermis adhibetur, potenter stases et abdominales et systematis lymphatici solvuntur.

Blandum stimulum praebent sapo medicatus et fel taurinum, quae utiliter cum asa foetida et ex-

tractis

tractis amaris ad diuturnas ſtaſes abdominales reſolvendas exhibentur.

249.

Peculiari vi incitante vaſa abſorbentia gaudet kali carbonicum, quo ad tumores lacteos et hydropicos discutiendos utimur: potentiora ſunt et kali et natrum cauſticum, maxime vero ammonium. (*pharm.* §. 277.)

In ſalibus neutris inſignis ſpes collocanda eſt. Alii enim, kali aceticum et tartaricum, tartarus natronatus et boraxatus, blandiſſimum impertiunt incitamentum viſceribus abdominalibus, ut et teneris proſint hominibus. Validius agit ceteris ammonium muriaticum, quo egere in ſtaſibus pituitoſis reſolvendis fere nequimus.

250.

Quodſi torpor adeſt inſignis, nec extimeſcimus ſtimulorum fortiorum ancipitem forte uſum, graveolentia, ut ammoniacum, galbanum ipſumque opopanacem adhibemus, maxime ad accelerandum vaſorum uterinorum infimique abdominis uſum. Tunc etiam vel vomitoriis ſtudemus potenter incitare vaſorum ſyſtema; vel purgantibus fortioribus inteſtinorum vaſa ita laceſſere, ut ſuppreſſus ſanguinis curſus reſtituatur: cui fini apta eſt Aloë, radices

Hellebori, gummi Cambogiae ipſumque Elaterium caute adhibitum.

251.

Quodſi vero ſpaſmis conſtricta ſunt vaſa, eamque ob cauſſam motus intercipitur, e narcoticis eligenda ſunt, quorum virtutem ſolventem uſus docuit: Conium maculatum inprimis in morbis ſyſtematis lymphatici, Laurocerasus in pervicacibus abdominis ſtaſibus. His tamen ne nimium fidatur, cavendum, cum continuatus uſus torporem adferre ſoleat.

Cap. X.

DE HUMORIBUS EVACUANDIS.

Art. I.

De ſanguinis miſſione.

à. *Modus agendi.*

252.

Quamquam ſanguinis miſſionem in cauſſis morborum numerantes, detrimenta eius alibi (*path. gen.* §. 147.) iam perſtrinxerimus; hic tamen intereſt, modum agendi fine therapeutico conſiderare.

Et primum quidem vulnus, quod venae infligimus, haud ſine momento eſt. Agit id incitamen-

ti loco, unde et derivare et revellere ope venae sectae possumus. (§. 228.)

Dein detracto sanguine, habitualem et necessarium quidem stimulum, quo partes solidae omnes continuo incitandae sunt, minuimus et amovemus. Quo stimulo, si, congesto sanguine in nobilioribus organis, vires solidarum partium oppresserit, detracto, liberatur efficacia, ut ad functiones normales redeat. Si autem vel reiteratur, vel nimia copia educitur sanguis, incitamento necessario detracto, efficacia labascit, protinus vi sensifera magis incitata (*path. gen.* §. 54.), ut et teneritas augeatur et dispositio ad spasmos oriatur et secretiones, maxime bilis, pervertantur et motus sanguinis praeter naturam acceleretur, volumen eius pandatur, plethora spuria subnata. (*path. gen.* §. 75.) Denique vero cum energia vis sensifera ipsa prosternitur, ut musculorum vires hebescant et nervorum, nutritio turbetur et totum corpus in cachexiam pronum fiat.

Itaque, si quando sanguinis missio artis praesidium sistit, contingit id, tum incitamento derivato aut revulso; tum liberatis partibus ab opprimente sanguinis irruentis incitamento; tum denique momento vis vitalis irritabili infirmato, si quando id nimis lacessitum est.

b. *Indicantia.*

253.

Solent, qui de ſanguinis miſſione agunt, eam praecipere in plethora vera, quam e nimia vis vitalis energia cum vere abundante ſanguinis copia proficiſci ſtatuunt. Cum vero rationem potius laeſam eſſe inter copiam ſanguinis et partium ſolidarum vim, diſſidium adeſſe inter ſanguificationis facultatem et conſumtionem ſanguinis, probaverimus (*path. gen.* §. 71.), nequaquam plethora per ſe, etiamſi vera fuerit, ſanguinem mittendum eſſe iubet. Namque, quamvis ſanguini aliquid detrahatur, minuitur tamen ſimul vis vitalis, amiſſaque cruoris portio facile reſtituitur. Itaque Galeni praecepto potius obtemperandum: „Satius eſt abſtinere, ne vis vitae „ſolvatur quam ſanguinem mittere, etiamſi ſanguis „abundet.“ (*comm.* 1. *in Hipp. de vict. acut.*) Melius eſt, penum minorem ſanguini parando praebere, exercitatione autem corporis conſumtionem generati ſanguinis promovere, quam vires ſanguine miſſo debilitare.

254.

Nihilominus plethorae ea ratio, quam commotam diximus, quaque, irruente ſanguine in partes nobiliores, hae obruuntur, ut functiones pervertan-

tur ac ſupprimantur, veriſſime et urgentiſſime indicat venae ſectionem.

Quod ut rite intelligatur, neceſſitasque venaeſectionis luculenter pateat, diſpoſitio et cauſſae praegreſſae ante omnia conſiderandae ſunt. Si quis enim vegeta aetate floret, cibis valentioribus nutritus, bonaque digeſtione conſpicuus eſt, iam vero ex aeſtu inſolito aut frigore in inflammationem incidit, aut ſi apoplexia e ſuppreſſo fluxu menſtruo in muliere naſcitur, *αἱμόφοβος* eſto, qui ſanguinem non detraxerit.

Maxime vero popularium morborum ingenium lucem foenerare valet. Vernum tempus, inflammatoria conſtitutio poſcunt venaeſectionem, niſi graviora repugnent. Id vero popularium morborum ingenium cum, *novae febris ingreſſu*, ſaepius ſtatim haud innoteſcat, neceſſarium eſt interdum experimentum in ſanguinis miſſione cautiſſime inſtituendum. (§. 3.)

255.

At vero accidit nonnunquam cauſſas latere: unde, quae nec unquam negligenda ſunt, ſymptomata in cenſum veniunt. Solent pulſum plenum fortemque ut indicans ſanguinis mittendi praedicare: non deſunt etiam, qui eo uſque ſanguinem detrahendum eſſe praecipiant, donec pulſuum haec indo-

les semet remiserit. Quod praeceptum quamvis ex toto taxandum sit, si modo reliqua respondent; nequaquam tamen curatio haec ad pulsuum eam indolem finienda est. Non raro enim pulsus mollissimi sunt in vera pulmonum inflammatione, (*path spec.* §. 239.) in apoplexia, quae sanguinis missionem etiam atque etiam poscit, pulsus intermittentes sunt. (*ib.* §. 486.) Cognitis rite caussa et morbi indole, curandi ratio neutiquam deserenda est ob pulsum oppressum: contingit enim saepius in altum denique extolli, postquam sanguinis debita copia evacuata fuerit.

256.

Sanguinis e vena missi indoles ac proclivitas in secessum particularum propiorum habetur indicans repetendae huius curationis. Quo densior enim est crusta phlogistica, eo magis urgere dicitur venae sectio. Quod quamvis generatim negare haud audeamus, ex iis tamen, quae de fortuitis caussis crustae phlogisticae monuimus (*path. gen.* § 90.), efficitur, tantum abesse, ut in hac sanguinis missi indole acquiescere possimus, ut potius et sine ea sanguinem mittere et, si quando post nimios corporis motus orta fuerit crusta phlogistica, cavere a repetitione eius debeamus.

257.

Ut, quae generatim dicta ſunt, ſingulatim illuſtrentur, *inflammatio* primum indicat ſanguinis miſſionem, ſi vere activa fuerit, ſi febre comitata, ſi organa vitalia occupat, ſi, recens orta, nondum proclivis eſt in ſucceſſiones, ſi corpus robuſtum male habet et e ſuppreſſis curſibus ſanguinis orta eſt, ſi popularis morbi ingenium activam eam ſignat. Pulſui minus fidendum, quam ſymptomatum gravitati, doloribus in pneumonia atrocibus, ſpiritus difficultati, anxietati et pectoris oppreſſioni. Saepe in morbi ipſius augmento, ſi pulſus etiam exiles ſunt et contracti, ſi facies pallet, membra frigeſcunt, aegerque ſummam queritur debilitatem, repetitis venaeſectionibus ſalus recuperatur, dummodo compertum habeamus, inflammationem vere eſſe activam et popularem conſtitutionem nequaquam eſſe adverſam. Animi defectiones per ſe deterrere nequeunt, cum ſaepius ex obrutis partibus nobilioribus originem ducant. Qui ſedentes ſanguinis miſſionem absque animi deliquio haud patiuntur, dum cubant, multo maiorem ſanguinis copiam animoſe fundunt.

Nec nimis anxie cauſſis inhaerendum, ſi gravitas ſymptomatum ac periculum pluris habenda ſunt. Si quis enim, vino luſtrisque confectus hepatis inflammatione corripitur, ſumma inflammationis vehementia febrisque continuae atrocia omnino nos cogit

ad venaesectionem, quamvis caussae praegressae vires vitales potius infregerint. Qui frigus debilitantibus adnumerant caussis, reiicient forte venaesectionem in magnis frigoris conclamati noxis, ubi tamen prodesse meminimus.

Nec temporis morbi nimis curiosa ratio habenda est. Generatim quidem monitum valet, quo praecocius in inflammationibus sanguis mittatur, eo meliorem praestare effectum; sed absonum esset, intra dierum aliquot limites constringere hanc curationem, cum saepe et in progressu inflammationis symptomata omnia praesto sint, quae sanguinis missionem indicant.

Solent quidem inflammationes rheumaticae originis ac catarrhalis alienas putare a sanguinis missione: nec repugnamus, si vere passivae sunt. Attamen vidimus in catarrho epidemico, qui ex oriente 1782, 1788 et 1803 per totam fere Europam grassabatur, (*path. spec.* §. 58.) pulmonum inflammationes nonnisi venaesectione posse compesci. Idem valet et de rheumaticis inflammationibus, quae interdum hactenus ardente et continua febre stipantur, ut sanguinis missio fere unicum sit auxilium.

Nec dissuadeant medico hanc curationem symptomata forte biliosa, quae ad inflammationem, praecipue pulmonum accedere solent. (*path. spec.* §. 240.) Ea enim, a violentia inflammationis nata

minuuntur et evanefcunt, fi fanguinis impetus arcetur.

258.

Haudquaquam opus eft, vera ubique adfit inflammatio, dummodo impetus fanguinis functiones neceffarias fupprimat et periculum minetur.

In typho ipfo epidemico et contagiofo, quamvis initio larva inflammatoriae febris indutus obfervetur, ubi anceps, imo magnopere noxia eft venaefectio, obveniunt tamen cafus, ubi, propter habitum aegri fumme plethoricum, impetum fanguinis verfus encephalum periculofum neceffaria eft haec curatio. Ita omnino fuit in eo typho, quem poft clades Gallorum teterrimas in Ruffia et Germania 1813 per totam Germaniam obfervavimus.

Nec febres putridae omnino alienae funt ab hac curatione, cum initio faepe ardentes fint et inflammatoriis fimillimae (*path. fpec.* §. 99.). Itaque et protinus in initio utiliffimam effe venaefectionem Jackfonius (*on the fevers at Iamaica*, *p.* 223.) et Pringlius in febre caftrenfi, dummodo robuftus fuerit aeger et initium febris inflammatoriae fimile, (*difeaf. of the army*, *p.* 270.) obfervarunt. Nec in pefte ipfa taxanda eft venaefectio, dummodo fanguis in nobilia loca irruens periculum minetur. Sic Ruffelius neque bubonum, neque aliorum forte exanthe-

matum eruptionem adverſam eſſe huic curationi ſtatuit. Metuiſſe ſe refert initio a pulſus remiſſione et debilitate mox poſt venam ſectam periculoſa ſymptomata, ſed poſtea invenit, hanc pulſus debilitatem neceſſario cohaerere cum ipſo morbo, neque praecocius accidere, ſi vena ſecetur, quam ſi haec omittatur curatio. (*von der Peſt*, tom. I. p. 171.)

Febres intermittentes interdum, ſi verno tempore et ſavente epidemica conſtitutione ſubcontinuae fiunt, impetu ſanguinis caput aut pectus vehementer obruente, aut ſi ex haemorrhoïdibus menſtruoque fluxu ſuppreſſis originem ducunt, nonniſi ſanguinis miſſione ad ſanitatem perducuntur. (*Stoll rat. med. vol.* 4. *p.* 493.)

Ita et in exanthematicis febribus tanta interdum eſt ſanguinis nobilia organa obruentis vehementia, ut, ni cohibeatur, non ſolum exanthematum eruptio et perfectio impediatur, ſed ſummum etiam periculum naſcatur. Scarlatinae autem curatio multo tutior noſtris eſt temporibus, ex quo hanc medelae rationem ſimul cum antiphlogiſticis remediis apte adhibere didicimus. Et in ipſo ſecundario morbo, leucophlegmatia calida, praeſidio eſt venaeſectio, cum a partibus nobilibus capitales avertat inflammationes.

259.

Sanguinis profluvia indicant venaeſectionem, ſi vel ex orgaſmo univerſali orta partes vitales infe-

ſtant, vel a ſuppreſſis aliis originem ducunt. Sic in haemoptyſi ſanguinem mittere opus eſt, ſi homines ea laborant aetate florentes, ſanguinis abundantiam alioquin iam perpeſſi; ſi e vulnere aut percuſſione thoracis ſanguinis profluvium ortum eſt; ſi interceptus eſt fluxus haemorrhoïdalis aut ſanguinis menſtrui curſus. Ipſa metrorrhagia poſtulat nonnunquam ſanguinis miſſionem in feminis robuſtis, quae iampridem ſanguinis abundantia laborarunt.

260.

In dyſenteria populari proficuum imo expeditiſſimum interdum praeſidium peti e ſanguinis miſſione patet, ſi vernales epidemias conſideraveris. Hae enim utique in inflammationem pronae, paucas ſanguinis meri deiectiones adferunt, ſummos vero dolores, tenſionem abdominis dolentiſſimam, ſitim exſtingui neſciam, aliaque eiusmodi ſymptomata, quae ni inflammationis praeſentiam, magnam tamen proclivitatem ad eamdem notant. (*path. ſpec.* §. 413.) Puerperae, e lochiorum interceptione, in eumdem morbum incidunt, nec averti exitium, niſi ſanguine audacter miſſo, poteſt.

261.

De morbis nervoſis per ſanguinis miſſionem curandis magna eſt contentio. Magnopere fallacem arbitror indicantium vulgarium catervam, quae in apoplexia

ex habitu petuntur. Namque, qui faciem venasque ſanguine turgentes ſolummodo crederent ſufficere, ut ſanguis mittatur, neſciiſſe videntur, cum eodem externarum partium turgore poſſe vel ſeroſam ventriculorum cerebri colluviem vel verum vaſorum collapſum una adeſſe; contra vero, cum inundatione encephali cruenta interdum pallorem faciei iungi. (*path. ſpec.* §. 488. 491.) Itaque potius ad cauſſas praegreſſas, ad diatheſin aegri et aetatem reſpiciendum eſt, ſi tuto hanc adminiſtrare curationem cupiveris. Aetate enim confectos plerumque ſanguinis ipſius colluvie apoplecticos fieri, ideoque ſanguinem mittendum eſſe, praeſertim ſi ante e naribus ſtillaverit, compertum habemus.

262.

Quamvis morbi ſpaſtici utplurimum ſanguine detracto exaſperentur, in variis tamen capitalis inſtat impetus ſanguinis in organa vitae praepoſita, quem avertere vena ſecta fas eſt. In tetano, „ſi „plurima fuerit in venis plenitudo phlebotomiam ad„hibebat Aſclepiades in ipſa vehementiae ſummitate.“ (*Cael. Aur. acut. lib.* 3. *c.* 8.) Adſentitur Hillarius, cum inflammationis metus ſaepius adſit. (*Krankh. von Barbadoes*, p. 282. 283.) Epilepſiam methodici ſanguinis miſſione temere adhibita curare ſatagebant: (*Cael. Aur. chron. lib.* 1. *c.* 4.) et ipſe cautiſſimus Aretaeus, propter graviſſimum ſanguinis impetum in

caput, venas ſecandas eſſe iubet: prohibens tamen, ne ad animi deliquium uſque ſanguis mittatur: πρόκλησις γὰρ τοῦ πάθεος λειποθυμίη (*Aret. cur. chron. lib.* 1. *c.* 4.). Noſtris utique temporibus iugularium venarum ſectio in morbi comitialis inſultibus pernicioſis ſalutaris exiſtimatur.

263.

Quinetiam melancholia, etiamſi incauta ſanguinis miſſione ita exaſperatam vidimus, ut in maniam capitalem abiret, haud penitus tamen huic curationi repugnat. Siquidem naſcitur ſaepius e lochiis, haemorrhoïdibus, menſtruo ſanguine ſuppreſſis: natura ipſi medetur haemorrhoïdum curſu, varicibus ruptis aliisque ſanguinis fluxibus. Hinc e priſtinis inde temporibus (*Aret. cur. chron. lib.* 1. *c.* 5.), ſi e ſimilibus cauſſis natus fuerit morbus, venam audacter ſecare medici conſuerunt.

264.

In hygrophobia defendi poſſet venaeſectio, quod nervorum tunicas inflammatas deprehendimus. (*path. ſpec.* §. 535.) Nec ſine exemplo antiquitatis anceps haec eſt curatio, cum iam Eudemus eam adminiſtraverit. (*Cael. Aur. acut. lib.* 3. *c.* 16.) Ob pulſum fortiſſimum Hartleyus iam intra paucos dies centum et viginti uncias ſanguinis detraxit, ſine omni alio remedio, niſi balneis frigidis adhibitis,

quo facto aeger perfecte convaluit, etiamsi iam pathognomica adfuissent morbi symptomata. (*Leske's Ausz. aus philos. Transact. vol.* 2. *p.* 265.) Ad lipothymiam usque Petersius sanguinem detraxit, additis remediis antiphlogisticis. (*ib. vol.* 3. *p.* 187.) Tiltonii (*Medic. Comment. von Edinb. vol.* 6. *p.* 448.), Hillarii (*Krankh. von Barbad.* p. 318. 324.), Nugenti (*Vers. über die Wasserscheu*, p. 10.), Bartonii (*med. and phys. journ. vol.* 14. *p.* 123.) aliorumque nuperiorum experientia salubris effectus huius curationis in tam capitali morbo confirmatur.

265.

Num in phthisi pulmonali sanguinem detrahere expediat, deliberatione indiget. Namque, quamdiu florida est, dolores sunt acuti, febris subcontinua, habitus plethoricus; cum maxime intercepti sunt sanguinis fluxus, saluberrimum est hoc praesidium, quo saepe avertere ulcerationis initium possumus. In progressu vero morbi, volumine sanguinis panso et plethora spuria orta fallitur saepius medicus, detractoque sanguine vires infirmat.

Tandem et in hydropibus prodest venam secare, si venarum turgor compresserit vasa lymphatica, eoque modo absorbtio impedita est. (*path. spec.* §. 578.) Itaque iam Hippocrates (*vict. acut.* p. 405.), si anni tempus, aegri aetas et constitutio id iusse-

rint, venam brachii in hydrope fecat. Et Io. Actuarius (*meth. med. lib.* 4. c. 7.), fi menftruus fluxus aut haemorrhoïdum fuppreffi fuerint, eamdem fuadet curationem, quae in hydrocephalo etiam utpote ex inflammatione oriente, interdum initio proficua fuit.

c. *Contraindicantia.*

266.

Utiliffima haec curandi ratio quot quantasque fanitati noxas adferat, in fuperioribus (*path. gen.* §. 147.) expofuimus. Inde fequentium contraindicantium veritas elucebit.

Primum autem damnanda omnino fanguinis miffio, quae fine urgentibus indicantibus adminiftratur. Etenim, ut cum Aretaeo loquar, τὸ αἷμα ἐστὶ τῆς φύσιος ὁ χῶρος καὶ ἡ τροφὴ, feu, ut nos faepius iam probavimus, eft et ftimulus univerfalis, neceffarius ac habitualis, quo partes omnes indigent, functiones fuas rite perpetraturae: eft et alimentum atque materies, e qua omnes alii humores parantur. Itaque fanis interdicenda eft fanguinis miffio, quam nonnulli ad praecavendos morbos commendant. Tantum autem abeft, ut morbi epidemici ea curatione avertantur, ut potius, infractis viribus et receptivitate aucta, multo citius hominem corripiant. Negari nequit, fi verno tempore aër incalefcit, fan-

guinem humanum etiam in maius pandi volumen, venas turgere, capitis faepe dolores, cordis palpitationes oriri, quibus adfectibus mederi fe poffe nonnulli exiftimant, fi fanguinem miferint. Satius autem effet, alimenta vitare, quae corpus faciunt, potus, qui exaeftuant, exercitationibus corpus fatigare, ut partes folidae firmentur.

Sunt cauffarii homines, ftafibus abdominalibus tardoque fanguinis per venam portarum motu laborantes, qui, dum praeprimis fedili indulgent, palpitationibus cordis, pulfu pleno et forti, capitis aeftu et doloribus variisque id genus adfectibus conflictantur, quos fanguinis miffione compefcere credunt. Multo tutius ii confulunt fanitati, fi corpus exercent et refolvente methodo utuntur.

Gravidae etiam creduntur, propter ceffantem menftruum fluxum, plethora laborare, cui per phlebotomiam minuendae ftudendum fit. Quanquam non inficiamur, in robuftis mulieribus, quae et fanguine abundant et epulis delectantur, venaefectionem quandoque utilem effe ad praevertendum partum difficilem ipfamque peritonei inflammationem: multo frequentius tamen nocet, detracto fetui alimento, unde pallidi imbecillesque infantes gignuntur. (*Thebefius in nov. act. nat. cur. vol.* 1. *obf.* 15. Cf. *path. gen.* §. 147.).

267.

Dein probe cavendum eſt, ne levamen, ſtatim poſt venam ſectam ſentitum, tanti credatur, ut curatio ea ſalutaris habeatur. Id enim ſatis vulgare eſt, humorum evacuationes, etiamſi haud indicatae fuerint, levaminis tamen nonnihil protinus adferre, quoniam liberantur partes ſtimulo obſidente. Contra vero venaeſectio, etiam urgentiſſime indicata, ſaepe nihil levaminis adfert, priusquam repetita fuerit.

268.

Repugnat venaeſectioni aetas infantilis, quoniam *τὰ αὐξανόμενα πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν, πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς.* (*aph.* 1. 14.) Nec facile ſenibus, niſi neceſſitas urgeat, vena ſecanda, quoniam naturaliter ſanguinis copia aetate decreſcit.

Clima etiam aeſtuoſum omnino adverſarium eſt venaeſectioni, unde veteres, qui in Aegypto medicinam et fecerunt et docuerunt, maxime Chryſippus Cnidius, Eraſiſtratus et Strato Berytius, hanc curationem penitus reiecerunt.

269.

Virium ratio circumſpectiſſime conſideranda eſt, ſi venam ſecare in morbis volueris. Inflammationes enim mere paſſivae, ab inaequabili vis ſenſiferae distributione ortae, tantum abeſt, ut vena ſecta tol-

lantur ut potius in pessimos exitus perducantur. Sic etiam inflammatio, quae ad cachecticum statum accedit, neutiquam hac curatione tractanda est.

270.

Morborum ingenium cautissime dispiciendum est, ne fallacia symptomatum nos ad perversam seducat curationem. Bilis aliorumque humorum turgor impetum sanguinis saepe versus nobiliora organa pellit, qui longe alia curatione ac venaesectione tollitur. In febribus nervosis et morbis spasticis orgasmus insignis tantum abest, ut sanguine detracto cohibeatur, ut spasmi plerumque magnopere exacerbentur ea curatione. Itaque cautissime examinanda est ratio spasmorum et nervosorum adfectuum, cum eos nonnunquam tamen ex inflammatione aut orgasmo saltem proficiscentes omnino possis sanguine e vena misso debellare. (§. 271. s.)

271.

Tempus morbi praeprimis attentionem meretur. Inflammatio si iam in successiones proclivis est, si suppurationi proxima aut ipsi ulcerationi, nequaquam sanguinis missione tractanda est, sed quae crescit, viget et in ἀκμῇ versatur. Ibi caute administrata transitum in resolutionem seu discussionem optime promovet.

272.

Copia ſanguinis e vena mittendi morbi ingenio et gravitati, virium etiam rationi reſpondeat. In inflammationibus activis, violentis; in apoplexia graviſſima duodecim aut viginti uncias detrahimus: minorem copiam in morbis, qui haud tantopere urguent, aut ubi viribus magis parcendum eſt. Sic ſex aut octo unciae in febribus nervoſis ſufficiunt.

Quodſi minor copia exigitur, hirudines etiam apponuntur, quarum binae, ſi eſuriunt, unciam unam ſanguinis vorare conſuerunt. Sex igitur, octo aut duodecim requiruntur, ut e. g. encephalitis in febre nervoſa inſtans avertatur.

Art. II.

De mutandis, quae praeter naturam in primis viis haerent.

a. *G e n e r a t i m.*

273.

Chemicas omnino mutationes earum rerum contingere, quae vel praeter naturam et humoribus gaſtricis et inteſtinalibus, ciborumque reliquiis generatae, vel quae ut peregrinae in ſtomachum et inteſtina ingeſtae ſunt, nemo negabit. Etenim et acoris primarum viarum ſubactio ope abſorbentium al-

calinorum terreorumque, et bilis concretae solutio, maxime vero venenorum curatio absque chemica mutatione cogitari nequit. Ita autem in ventriculo primisque viis haerent, ut proxime eas attingere medicamenta possint.

Alia vero sunt morbo vel caussis praegressis producta, quae sordes dicuntur, tum e ciborum reliquiis tum ex ipsis humoribus inquilinis generatae. Eae haudquaquam mutantur, nisi ratione virium has partes regentium mutata. Coctionem complectitur haec curatio, seu modum, quo sordes firmiter parietibus adhaerentes nimisque secum cohaerentes ad evacuationem proclives redduntur. Quae quidem dynamica methodus nequaquam negligenda est in ipsa chemica mutatione, utpote quae saepe simul a debilitate aut perturbatione vis digestivae pendet.

b. De succi gastrici pravitatibus corrigendis.

274.

Duplici potissimum modo succus gastricus corrumpitur; vel acescit, vel putrescit. Utrumque vitium vel ex ingestis, quae acorem aut putredinem gignunt, vel e perturbata nervorum gastricorum efficacia exponendum est. Plerumque vero, etiamsi e ciborum qualitate lucem accipiat, comitatur tamen acrimonia acida saltem et graviditatem et arthri-

tidem anomalam et hyftericos adfectus ac hypochondriacos, ut perinde fit, quid comederint aegri. (*path. gen.* §. 248.) Putredinis autem ortum fere femper a vitiata virium ratione nafci, monuimus. (*ib.* §. 94.)

275.

Itaque, fi pyrofi adficitur aeger, occurritur quidem tempeftive magnefia, kali carbonico et natro, calcaria etiam e lapidibus cancrorum concharumque teftis. Saepiffime tamen haec non fufficiunt, cum ilico recurrat acor, ut vegetabilia in eum prona comefta fuerint. Addenda igitur funt ea, quae fugaciffimo ftimulo fedant, aut incitant etiam vires ftomachi, ut regularis moderataque actio nervorum reftituatur. Olea aetherea fragrantia, fructus et radices ea continentes (calamus aromaticus, fructus carvi, coriandri, nux mofchata: Chenopodium ambrofioides: Mentha crifpa et piperita) multo tutius acrimoniam fucci gaftrici acidam domant, quam terrae et alcalina. Amara quoque (fel taurinum, centaurium minus, carduus benedictus etc.) et balfamico - adftringentia (Thea Bohea, radix caryophyllatae, ipfeque cortex peruvianus) utiliter ad eumdem finem adhibentur. Hyftericis mulieribus confert plerumque afa foetida aut caftoreum cum felle taurino.

276.

Putredo ſucci gaſtrici, quae initium febrium putridarum conſtituere ſolet, chemicam omnino admittit curationem. Carbonem enim (*pharm.* §. 300.): acidum carbonicum, in fontibus medicatis naturaliter contentum, aut e rebus fermentantibus, potione Riveriana et mixtura Hulmiana eliciendum (*ib.* §. 265.); acida alia vegetabilia, tamarindorum maxime et citri, quibus nonnulli ſales neutros et ipſum culinarem admiſcent, (*ib.* §. 287.) putredini chemico modo reſiſtunt. Quod et de mineralibus contendi poſſet, ni dynamica eorum, maxime acidi muriatici, actio magis conſpicua eſſet. Ipſis etiam acidis vegetabilibus, ut melius in vires agant easque refocillent, admiſcentur leniter aromatica. Mixtura ſulfurico - acida et elixirium acidum Halleri ſaepe multo potentius putredinem arcent, quam acida ſimplicia.

c. *De concrementis bilis ſolvendis.*

277.

Calculos biliarios ex atonia viſcerum digeſtioni inſervientium et torpore venae portarum oriri probavimus. (*path. gen.* §. 111.) Neque tamen eo minus chemica eorum mutatio contingit, ſi inteſtini duodeni partem eam occupant, ubi proxime in eos agere medicamenta poſſunt. Oleum terebinthinae

cum aethere ſulfurico mixtum peculiari ea vi gaudere, ut calculos huius generis ſolvat, iam monuimus. (*pharm.* §. 119.) Idem et de ſpiritu terebinthinae cum ſpiritu nitrico - aethereo mixto valet.

d. *De peregrinarum rerum et venenorum ſontica qualitate compeſcenda.*

278.

Peregrina, quae praevalente quodam elemento noxios effectus producunt aut deſtruunt etiam partes vitales, ita generatim tractanda ſunt, ut tum ſontica eorum indoles protinus corrigatur, tum partes cuſtodiantur, tum denique quam ocyſſime eiiciantur. Ultima quidem indicatio ubique locum obtinet, ſi ſtatim poſt ingeſtas eas res ad aegrum accedimus. Cuſtodiuntur partes mucilaginoſis, gelatinoſis et albuminoſis, oleoſis etiam et lacte uberrime ingeſtis. Haec etiam ſola ſufficiunt ad ſubigendos acrium reſinarum effectus.

279.

Oxyda metallorum et ſales eorum ingeſti, iis vincuntur, quae oxygeni libero reſiſtunt. Ei autem fini inſerviunt praeprimis ſulfur, kali ſulfuratum, calcaria ſulfurata et liquor ammonii ſulfurati, thermae praeprimis, quae ſulfur continent. Haec omnia et plumbi et hydrargyri oxyda optime reducere

fonticosque effectus arcere valent. Stibii quoque oxydulati connubia cum fulfure utriusque metalli oxydati noxiam qualitatem emendant. Noviffime et ferrum in morbis ab hydrargyrofi ortis conferre obfervatum eft. (*pharm.* §. 355.)

Arfenico contrarius eft fapo medicatus: narcoticis venenis refiftunt acida, praefertim vegetabilia, quae igitur largis dofibus aceti, fructuumque horaeorum ingerenda funt. Iis autem, quae acido boruffico fcatent, ammonium mederi, nupera Vindobonenfium medicorum experimenta docere videntur.

e. *De flatibus pellendis.*

280.

Flatuum, feu fpirituum in inteftinis collectorum, ortum e fuppreffis aut labefactatis inteftinorum viribus expofuimus. (*path. gen.* §. 248.) Hinc igitur, quanquam haud plane negemus, chemico modo poffe flatus coërceri, ea tamen curandi ratio tum multo plus negotii facit, tum generationem fpirituum novam praepedire nequit. Gas carbonicum, fi quando in ftomacho inteftinisque elicitur, magnefia ufta et aqua calcis; gas hydrogeneum carbonibus; gas oxydatum azoticum calcaria potenter abforberi dicuntur. Quae remedia, fi forte eum effectum producunt, nunquam tamen tanta

copia ingeri poſſint, ut omne flatuum volumen abſorbeant.

Multo ſatius eſt, cauſſas ſpirituum intra inteſtina collectorum amovere, eoque modo flatus ipſos pellere. Sordium copia ingens, quae ſaepe vires inteſtinorum ſupprimit, ut flatus gignantur, iis educenda eſt, quae alvum moliuntur, admixtis, quae ſpaſmos ſedare leniterque firmare inteſtina poſſunt. Rhei radix cum aromaticis, calamo maxime aromatico; ſales neutri cum infuſo chamomillae; tartarus depuratus cum cortice aurantiorum egregie ſaepe opitulantur. Clyſmata praecipue proſunt ex aromaticis, alvum mollientibus et ſpaſmos ſedantibus compoſita.

Quodſi hernia conſtricta eſt, mechanicis prius et idoneis aliis remediis ea conſtrictio laxanda eſt, quam ad flatuum ipſorum curationem proceſſeris.

281.

Quae dicuntur *phyſagoga*, aut barbare, *carminativa*, pleraque aromatica ſunt, oleo aethereo extractoque amaro praegnantia, quae tum ſuavem fugacemque nervis impertiunt ſtimulum, quo ſpaſmi tolluntur, tum roborant inteſtina, ut inaequabilis vis ſenſiferae distributio ceſſet. Celeberrima ſunt cortices aurantiorum; fructus cardamomi, coriandri, carvi, foeniculi, phellandrii; herbae menthae

piperitae et crispae, Melissae, Chenopodii ambrosioidis; radices calami aromatici, angelicae et zedoariae: ipsa etiam graveolentia, asa foetida, castoreum, valeriana, millefolium et absinthium. Quinetiam fugacissimus stimulus spirituosorum spirituumque aethereorum, si torpent intestina, flatus pellere valet.

Externis quoque irritantibus expelli posse flatus, si pertinaciter regenerantur, patet e moxae usu apud Iaponiae Chinaeque incolas, quo colicas flatulentas citissime et tutissime curant, (*Hallmann in Thunberg diss. bot. vol.* 1. p. 170.) Veteres cucurbitas siccas abdomini imponere, recentiores etiam emplastra vesicatoria adhibent, ut torpor intestinorum tollatur. (*Medic. Comment. v. Edinb. vol.* 9. 1. p. 82.)

f. *De vermibus enecandis.*

282.

Quamlibet haud inficiemur, nonnullis remediis inesse aliquid specifici, quo vermes intestinales interimantur; stanni limati exemplo, extracti nucum iuglandum et seminum santonici; pleraque tamen anthelminthica eo potissimum valent, ut intestina incitando, pituitam solvant atque educant, quae vermium, maxime lumbricorum, sedes est: non-

nulla etiam ſpaſmos ſimul compeſcunt aut robur partium augent, quo nova pituitae generatio impeditur. Inſignes ferrum meruit laudes, pares fere cortex peruvianus, quorum neutrum, niſi firmatis inteſtinis, agere poteſt. Gummi contra cambogiae, aloë, hydrargyri praeparata pituitam educunt, vermibusque eripiunt alimentum. Aſa denique foetida, valeriana oleumque animale, quae nonnulli ſpecifica habuerunt, ſpaſmos ſedare, adeoque normalem reſtituere virium rationem valent.

g. *De coctione promovenda.*

283.

Cruda dicebantur maioribus noſtris ea, quae, perverſa quidem ſecretione generata partibus tamen continentibus adeo firmiter adhaerere videbantur, ut naturae vi minime poſſent educi, ſed incitamento ſuo praeternaturali etiam magis turbarent vires ſpaſmosque adferrent. Hinc Galenus impactos dicebat et ut ita quis dicat incuneatos eiusmodi humores. *) Coctionem autem vocabat mutationem eam, ope naturae virium perfectam, qua ad *σύμμετρον κρᾶσιν*, admitiorem et tenuiorem aut ſpiſſiorem etiam indolem converterentur. Ea igitur mutatio verſatur tum in

*) De cauſſ. ſympt. lib. 3. c. 5. Ἐμπεπλασμένος καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, ἐσφηνόμενος ὁ λυπῶν χυμός.

demta acrimonia, tum in attenuato eo, quod nimis cohaerefceret, tum in conſpiſſando, quod nimis tenue eſſet et fluidum *).

Quodſi nos, generatim hanc informationem ſtabilientes, cruditatem diximus deflexum ſummum a normali virium aequabilitate, coctionem autem, inclinationem morbi, ſeu remiſſionem eam, qua ſenſim aequabilis virium ratio reſtituitur (*path. gen.* §. 120.); coctionem etiam ſordium ita promovemus, ut molliente methodo et humectante nimiam fibrarum tenſionem tollamus faciamusque εὔροα omnia, quibus natura aliquid educere poteſt; ut ſedante methodo ſpaſmos, remiſſioni contrarios, compeſcamus; ut incitantibus denique ſecretionem corrigamus. Itaque, quam varia ſit haec curandi ratio, patet.

284.

Coctio ſordium gaſtricarum et inteſtinalium ſaepe ſola methodo antiphlogiſtica, humectante et molliente perficitur, ſi ſanguinis orgaſmus, febris valida cum cute arida, lingua ſicca et partium omnium ſolidarum magna intentione iungitur. Venaeſectio-

*) Hipp. de priſc. med. p. 15. Πέσσεσθαι καὶ μεταβάλλειν, καὶ λεπτύνεσθαι καὶ παχύνειν, δια πολλῶν εἰδέων καὶ παντοίων. . . . Ὅσῳ ἂν πλέοσι μίσγηται, τοσούτῳ ἠπιότερα καὶ βελτίονα.

nem ipſam praemittere in plethoricis, febribusque ad inflammationem pronis, opus eſt. Ad haec potiones refrigerantes, acidulae aut e ſalibus neutris, parca doſi exhibitis, proſunt. Sufficit ſaepe kali aceticum aut tartaricum aqua pura ſolutum exhibere. (§. 201. 210.)

285.

Coctio ſordium gaſtricarum, dum ſpaſmi corpus infeſtant, promovetur nauſeoſis, ſeu exiguis doſibus eorum, quae vomitum cient, praeſertim ipecacuanhae, cui addere pauxillum opii iuvat. His quoque adnumeranda ſunt, quae fugaciſſimo ſtimulo remiſſionem adductura ſunt: ſpiritus aetherei, radix valerianae. Denique etiam zinci oxydum et moſchum et opium ipſum, prout aegritudinis ratio ſingula poſtulat, in auxilium vocanda ſunt.

286.

Quodſi tenax humorum indoles cum inertia ſtomachi et inteſtinorum iuncta eſt, fortiora reſolventia: ammonium muriaticum, ammoniacum, extracta amara adhibenda ſunt, quibus demum tonica roborantia adduntur. (§. 142.) Tota autem methodus, quae ſtaſibus reſolvendis par eſt, huic quoque ſini apta invenitur. (§. 251. ſ.)

Abutuntur tamen hac methodo, qui negligunt naturae nutus. Cum enim huc vel illuc vergit, eo

potiſſimum ducendi ſunt humores, ne unquam repugnemus naturae.

Art. III.

De vomitu ciendo.

a. *Modus agendi.*

287.

Generalem vomitus expoſitionem cum in ſuperioribus (*path. gen.* §. 247.) perſtrinximus, patet, his ſuccuſſibus violentis, non ſolum breviſſima via eliminari ſtomachi contenta et inteſtini duodeni, ſed e ductibus etiam choledochis et pancreatico exprimi, ſi quae ibi abundant, et omnia viſcera ſub hypochondriis ſita valide agitari, ſtaſes reſerari et motum praeprimis per venam portarum accelerari. Diximus, niſibus vomitum comitantibus impetum ſanguinis verſus pectus et caput augeri; validis muſculorum abdominalium motibus nervorum etiam distentiones naſci; niſibus denique violentis rumpi poſſe vel vaſa vel membranas.

288.

Therapeutice vero vomitum contemplaturos decet emolumentorum memores eſſe, quae praecipua producere haec curatio poteſt. Et primum quidem motus ille antiperiſtalticus finem imponere ſolet nimiae periſtaltici motus contentioni, unde diarrhoeae

diuturnas ſiſtere valet. Dein excretio ſaburrae gaſtricae via fit breviſſima, qua vitatur damnum, e longinqua ductione per tractum inteſtinalem naſcens. Multo citius igitur, ſi quae peregrina et venenata in ſtomacho inteſtinoque tenui ſedent, expelluntur, multoque tutius, quam id per alvum fieri poteſt. Succuſſus etiam ſalubres ſunt, ut toti motricium fibrarum compagi alia impertiatur temperies, ut exagitatae torporem vaſorum tollere, ſpaſmos quoque in remotis partibus ſedare, ſecretiones promovere poſſint. Hinc minus frangere vires ſolet vomitus quam alvi ductio; hinc reſolventem pariter ac ſedantem methodum adiuvat, ipſamque metaſyncriſin.

b. *Indicantia.*

289.

Indicatur vomitus, et urgentiſſime quidem, ſi peregrina, quae natura ſubigere nequit, et venena, maxime narcotica, in ſtomacho et inteſtino forte tenui haerent. Quodſi forte adfuerint, quae alioquin prohibere poſſint hanc curationem, in hoc tamen caſu vel poſtponenda ſunt, vel, ſi fieri poteſt, removenda, cum neceſſitas vomitus ſumma ſit. (§. 58. 59.) Si narcotica venena, opium et belladonna, ingeſta ſunt, exhibitum promtiſſime emeticum non ſolum breviſſima via expellit, quod nociturum eſt,

ſed agitato ſyſtemate nervorum effectibus narcoticorum ſerioribus reſiſtit.

290.

Paullo difficilius paucis verbis exponitur neceſſitas vomitus, dum ſordes primas vias occupant. Quodſi manifeſto ira aeger excanduit, aut ciborum vel potuum copia ſe ingurgitavit, extemplo vomitum ciere magnopere expedit: expedit etiam, dum popularis morbi ingenium ſordes bilioſas aut pituitoſas turgentes ſignaverit, dum naturae nutu ſalutaris vomitus praeceſſerit, aut nauſea ſaltem continua indicaverit cum aliis turgoris ſordium ſignis, vomitum ſalubrem futurum. Id vel maxime contingit ſub ipſo morborum initio, ſi nondum forma evoluta eſt, ſi ſymptomata praeſentia cauſſarum effectibus manifeſtis adnumeranda ſunt. Quodſi vero in morbi progreſſu, ex adfectionibus organorum digeſtioni inſervientium ſordes naſcuntur, eaeque turgent, vomitu quidem tolluntur, ſed augetur ipſo vomitu adfectio organorum: hepatis maxime inflammatio, quam ſaepenumero turgor bilis ſequi ſolet. Nonnunquam etiam ex inaequabili virium diſtributione in progreſſu morbi ſordes naſcuntur, quibus idonea quidem interdum ſunt emetica, licet et augere inaequabilem virium diſpenſationem poſſint.

291.

291.

Magna eſt vomitus arte exciti utilitas in ſtaſibus referandis et motu ſanguinis humorumque per venam portarum accelerando. (§. 260.) Adiuncta ſunt commoda e temperie nervorum gaſtricorum ſplanchnicorumque nata. Unde in febribus intermittentibus, ipſisque malignis et comitatis inſignis ſpes eſt in vomitu collocanda, quem praecipue ſulfur ſtibiatum aurantiacum tartarusque ſtibiatus producunt.

Hinc magna eſt derivanda efficacia emeticorum in adfectibus diuturnis ſtaſes abdominales excipientibus. In phthiſi pulmonali, pituitoſa et tuberculoſa expeditiſſimum eſt, vel ipecacuanham vel ſulfur ſtibiatum ita exhibere, ut modo nauſeam iam vomitum ipſum cieant. Cuprum ſulfuricum et ſulfurico - ammoniatum Britanni in ea phthiſi, quae ipſis vulgatiſſima, exhibent, ut et ſtaſes abdominales reſolvant et metaſyncriſin moliantur.

Hydrops, qui ſaepe ſpontaneis vomitibus cedit, emeticis etiam interdum fugatur, ſi e ſtaſibus abdominalibus ortum duxit. Praxagoram iam vomitum iuſſiſſe non ſolum ieiunum, verum etiam poſt veſpertinum cibum, in hydrope, memorat Caelius Aurelianus. (*chron. lib.* 3. c. 8.) Et recentiores nonnulli ſcillam potiſſimum eo conſilio adhibent, ut vomitum cieat.

In menoſtaſia et fluore albo, qui hanc excipit, ex abdominis ſtaſibus derivandis repetitus emeticorum uſus ſaepe magnopere iuvat.

Quid quod in ipſa haemoptyſi, quae alioquin ex toto vetat emetica (§. 308.), ſi e ſtaſibus ortum ducit, vicaria forte haematemeſeos excretio, Praxagoras iam (*Cael. Aurel. chron.* lib. 2. c. 13.) noſtris temporibus Stollius et Dömlingius emetica egregium uſum praeſtare docuerunt.

292.

Magna eſt inſuper vis vomitus arte excitati ad incitandas vires, ut criſin moliantur, ſive per cutim id fiat, ſive per vias aëriferas, ſive per renes et veſicam. In febribus praeprimis lentis nervoſis aut verſatilibus eo conſilio potiſſimum exhibentur, ut torpidae vires ſollicitentur, criſisque, qua natura vergit, promoveatur. Metaſyncritico et antagoniſtico modo agunt, ut laceſſito ſtomacho caput liberetur blandaque ſequatur perſpiratio.

Nuper etiam rheumatiſmum acutum ita curare auſi ſunt, ut, vomitu ineunte morbo producto totius corporis ambitus incitaretur, atque perſpiratio cutanea ſuppreſſa reſtitueretur.

Pari ratione utilis eſt vomitus arte excitatus in febribus exanthematicis, ubi virium torpore impedi-

tur exanthematum eruptio ac perfectio. Unicus ſaepe vomitus ſufficit, ut naturae vires erigantur ac criſis neceſſaria per exanthemata conſequatur.

293.

Nec ſedans virtus emeticorum negligitor. Explicanda ea eſt ex alieno ſtimulo, quem haec remedia ſtomacho impertiunt, quoque morboſa incitatio compeſci poteſt. (§. 203.) Utile maxime eſt id conſilium, cum ſpaſmi e ſtaſibus abdominalibus originem ducunt: quod cum in hyſtericis adfectibus et hypochondriacis locum obtineat, utiliſſima ſaepe eſſe in iis emetica patet. Omnium etiam medicorum teſtimonio probatur eorumdem remedium uſus in epilepſia, vel ante poroxyſmum datorum, vel exiguis et repetitis doſibus exhibitorum, quo facto ſedare tumultus ex inaequabili virium diſpenſatione ortos conſueſcunt. In eclampſiis infantum Chalmerſius (*von den Krankh. in Südkarol.* 1. p. 74.) nil utilius praedicat emeticis e tartaro ſtibiato paratis. Confirmat uſum in eodem morbo Richterus. (*med. und chir. Bemerk.* p. 132.)

Utiliſſima profecto emetica ſunt in tuſſi convulſiva, ubi non ſolum pituitam tenacem expellunt, ſed alium impertiunt ſtomacho ſtimulum, cui morboſus cedit, ſtaſes etiam reſolvunt, ſi quae adfue-

rint. (*Remer's Annal. der klin. Anſt. zu. Helmſt.* 1. p. 359.)

294.

Quamvis generatim inflammationibus repugnare videtur emeticorum uſus (§. 308.); ſunt tamen variae inflammationum ſpecies, vel e ſordibus bilioſis ortae, vel a ſolutione ſpontanea, ob vires naturae perturbatas aut fractas, alienae. Iis auxilium ferre emeticis haud dubitamus.

Sic, cuius auctoritatem nulla delebit aetas, Stollius in ipſa pneumonia, quae popularem morbum bilioſum ſequeretur, emetica ſumma proficua invenit, cum poſt eorum denique uſum et ſputorum coctio et dolorum mitigatio et criſes perſpiratione abſolvendae contingerent.

In angina membranacea emetica ſaepe prodeſſe, vel inde elucet, quod vomitu ſaepe membranas illas morboſas ſalubriter eiici meminimus. (*path. ſpec.* §. 228.) Teſtimoniis Crawfordii, Witherſii (*Bemerk. über die Fehler beym Gebr. der Arzneym.* p. 95.), Smithii (*memoirs of the med. ſoc. of Lond. vol.* 6. p. 74), Lentinii (*Beytr.* 1. p. 306. 3. p. 195.) aliorumque inſignis uſus eius methodi ad ſolvendas membranas confirmatur.

295.

In dyſenteria quanta ſit emeticorum utilitas, neminem latet. Invertunt directionem motus, quo inteſtina laborant, ut, quae deorſum continuo tenderet, iam ſurſum contingat: expellunt, quae forte adſunt ſordes, ſpaſmos, quibus conflictantur inteſtina, ſedant, et cutis functiones ſuppreſſas ad normam redire cogunt. Praeſtant id omnino, dum exiguis doſibus, ne abundans ſequatur expulſio, exhibentur: quae virtus maxima eſt radicis ipecacuanhae.

Pariter iuvare et in diarrhoeis diuturnis ſupra iam monuimus. (§. 288.)

296.

Nec ſine laude dimittenda eſt haec curatio in variis eclyſibus, maxime in apoplexia, vel ſeroſa, vel e conſenſu e ſordibus bilioſis oborta. Sic et in amauroſi, quam Schmuckerus ex ira ſubitaneam obſervavit, quaeque interdum e ſtaſibus exiſtit abdominalibus, prodeſt emeticum exhibere, ut vel ſordes eliminentur vel ſtaſes abdominales ſolvantur atque nervi ſplanchnici alienum excipiant ſtimulum.

In inſaniae genere, quod longius ſpatium recipit, ſeu melancholia, Celſus iam ſuadet vomitum ciere. Magnae doſes emeticorum, ut torpor virium tollatur, ſtaſes etiam atrabilariae ſolvantur, a pluribus recentioribus, Perfecto inprimis et Buchhavio,

commendantur. Exiguis autem et repetitis dolibus, ut sola nausea oriatur, prodesse omnes consentiunt.

c. *Contraindicantia.*

297.

Prohibetur haec methodus primum cruditate sordium, in morbo iam formato. Quodsi enim nondum paratae sunt sordes ad evacuationem, si potius impacae haerent plicis intestinorum, si nimis tenaces sunt aut acres, prius naturae adminiculo et artis praesidiis coquendae sunt. (§. 283 — 285.) Excipiendum tamen initium morborum nondum formatorum, et a manifestis caussis ortorum, ubi brevi post iram aut ciborum vorationem nimiam emetica praesentanea praestant commoda. Excipienda etiam peregrina et maxime venena, quae coquere natura et mutare nequit, quorum igitur expulsio urguet.

298.

Dein contraindicat plethora, et impetus sanguinis in nobiliora irruentis. Qui congestionibus versus caput et pectus laborant, aegre ferunt vomitum: vitandus igitur, ni urgeant indicantia. (§. 294. 296.) Hinc igitur gibberi senesque decrepiti, in apoplexiam proclives, haud sine graviore molestia vomere solent: saepe quoque pessime inde habent.

Nec gravidae, maxime tertio menſe, ubi in abortum ſunt pronae, facile vomunt, niſi urgeat neceſſitas.

299.

Alvi obſtructio pertinax prohibet vomitum, cum impetus ſanguinis in pectus et caput ea magnopere augeatur. Itaque alvus prius eluenda eſt, quam vomitum cieamus.

Hernia adflicti, ſi conſtrictio annuli aut incarceratio metuenda eſt, vel vitare vomitum, niſi in praecipiti ſint, vel fulcire περιζώμασι aut ipſa manu, dum vomunt, partes adfectas debent.

300.

Virium ratio et naturae molimina ex toto obſervanda ſunt. Interdum enim ſpaſmi validi cardiam ita conſtringunt, ut vomitus facile conſequi nequeat, niſi prius ſpaſmi ſedentur. Ubi iam intentae ſunt vires, in acceſſibus febrium et veſpertino tempore, haud facile vomitus ciendus, ſed dum febres ſemet remiſerint et matutinis horis.

d. *Indicata.*

301.

Delectus emeticorum ſtudio ſummo inſtituendus eſt, prout citius vel tardius, mitius vel fortius vo-

mitum concitare effectusque secundarios promovere cupimus. Ad mitiora et quae cito agunt, referuntur aqua tepida, larga copia ingesta, titillatio etiam pharyngis ope plumae. Mitioribus quoque accensenda radix ipecacuanhae, quae et spasmos sedare et perspirationem augere solet. (*pharm.* §. 116.) Sulfur stibiatum aurantiacum et vinum stibiatum in blandioribus nominanda, quae simul stases potenter solvere et mitigare spasmos valent.

Fortius emeticum praebet tartarus stibiatus, ocyus ceteris agit, alvumque simul ciet. Hoc etiam potentius agunt zincum sulfuricum et cuprum sulfuricum, maxime commendanda, si venena narcotica ventriculum obsident.

Minus tutae sunt radices asari, bryoniae, hellebori albi, herba gratiolae etc., quippe quae spasmos potius concitant et quandoque ventriculum inflammant.

Art. IV.

De alvo ducenda.

a. *Modus agendi.*

302.

Mire varius est agendi modus eorum, quae hoc capite comprehenduntur. Etenim alia sunt, quae

duntaxat obſtacula amovent, alvum comprimentia, unde, ſi ſicca eſt et conſtricta inteſtinorum compages, et olea et aqua tepida, qua alvus eluitur, ipſaque ſedantia alvum ducere poſſunt.

Alia ſunt, parum remota ab his, quae, dum calorem nimium ligant, conſtricta vaſa ſtrictosque aperiunt ductus excretorios: hac blanda excretione per totum tractum inteſtinalem promota alvoque liquata aeſtum minuunt, revellunt mitiſſime ab aliis organis, adeoque normalem reſtituere virium distributionem valent. *Laxantia* haec dicuntur, extractis plantarum dulcibus aut ſaponaceis, ſalibus etiam neutris mitioribus vegetabilibus comprehenſa. Haec quoque, exiguis doſibus adhibita, coctionem promovere et ſtaſes reſolvere valent.

Tandem, quae ſignificantius *purgantia* dicuntur, principio reſinoſo ſaponaceo gaudent, quo potenter et diu vellicant inteſtina, motum periſtalticum fortiter augent, ut et expulſio ſordium eorumque, quae in inteſtinis continentur, contingat et ſenſus inteſtinorum augeatur et alliciantur humores potentius ex aliis partibus ac revellantur. Solent etiam, quae fortius alvum ducunt, abſorbtionem cutaneam augere, ut corpus gravius fiat poſt purgationem et contagium facilius ſuſcipiatur.

303.

Itaque patet, haudquaquam in inteſtinis ſolis huius curationis actionem finiri ac circumſcribi. Irritato enim tubo inteſtinali, corporis longitudinem fere ſexies ſuperante, cum toto corpore communicatur ea incitatio, ut ſenſus torpentes motusque ſuscitentur, abſorbtio augeatur et in diuturnis morbis ſalubris nonnunquam agitatio ſequatur.

Sed ipſa ea irritatio, ut ſalubris eſſe poteſt, ita, propter ſecretionem auctam, corruptioni humorum anſam praebere ſolet. Etenim adlecti continuo humores non poſſunt non corrumpi, ut repeti alvi ductio debeat. Quod quam noxium ſit, vel e debilitate patet, quam neceſſario adfert continuata tanti tractus incitatio et humorum copioſa excretio.

304.

Inficiari quidem nequit, varia remedia, quae huc pertinent, peculiari ac ſpecifico plane modo partes adficere, ut ſingularium etiam humorum adfluxus ſequatur, ſicut rhei radix ſpeciatim bilem corrigere ſolet et evacuare, hydrargyrum vero muriaticum mite pituitoſos humores; haud tamen generatim adſtipulari poſſumus veterum ſententiae, quae cuivis fere remedio ſuos tribueret humores, quos e corpore educeret.

b. *Indicantia.*

305.

Generatim quidem ſtatuimus, in quocunque morbo alvum eſſe liberam ſervandam, cum ingens ille tractus merito dicatur organum depurgatorium, quo ad normam valetudinis ſecundae agente, orgaſmus febrilis mitigetur et congeſtiones deriventur. Hinc vehementia febrium minuitur, coctio promovetur, metaſtaſes impediuntur, quamdiu alvus libera manet et aperta. Cui quidem fini inſervit methodus humectans et antiphlogiſtica, clyſmatumque applicatio, ſi intra nychthemeron alvus non ceſſit.

306.

Laxantia ſpeciatim indicantur ſordibus. Sed ſtudioſe inveſtiganda eſt ſordium ortus et indoles, priusquam evacuationem moliamur. Sydenhami eſſatum: „Nihil novum eſt, variis in febribus ſordes „generari," graviſſimum eſt, et, rite obſervatum, impedit nos, quominus eas ſordes educamus, quae in progreſſu morbi, tanquam eius effectus, naſcuntur.

Itaque ſordes protinus indicant laxantia, ſi a cauſſa manifeſta, ciborum reliquiis etc. ortae, deorſum tendunt. Id autem cognoſcimus lingua ſordibus obducta, appetitu deficiente, oppletionis ſenſu in

praecordiis, turgore abdominis et borborygmis, proclivitate etiam in alvi fluxum, cum torminibus forte, tenefmo et lumborum doloribus iuncta.

Indicant quoque laxantia fordes, fi popularis morbi ingenium eo vergit, ut faburra inteftinalis generetur. Dum regnat febris biliofa, ipfae inflammationes intercurrentes optime folvuntur alvo liquida et bilem corruptam educente. Hinc naturae nutus obfervandi, imitandique in epidemiis, ut quo vergat, eo moveantur humores.

307.

Laxantia, cum fordibus indicantur, praeferenda funt emeticis, fi natura potius deorfum quam furfum movet faburram; fi impetus fanguinis verfus nobilia organa, fi gibber pectoris, hernia incarcerationem minitans aut alia emeticorum contraindicantia (§. 297—300.) adfunt.

Praeferenda laxantia ipfis purgantibus, fi fordes adfunt, quoties fibra ftricta, tenfa et fenfu acuto praedita repugnat ufui irritantium fortiorum, quod tum in febrilibus morbis, tum, ubi fpafmi vigent aut nimiae ficcitas adeft, contingit. Sic in alvi obftructionibus pertinacibus, cum morbo cachectico iunctis, noxas non paucas fubinde purgantia adferunt, profunt vero laxantia blandiora. Ubi cum alvo adftricta fanguinis profufio per vafa haemorrhoï-

dalia vel adest vel metuitur, vitanda sunt probe purgantia, utpote quae impetum sanguinis exasperant; praeferenda laxantia blandiora, quae utique mitigare sanguinis cursum possunt.

308.

Laxantia enim indicantur, si sanguis vel humores in partem nobiliorem irruentes revellendi sunt. Leniter enim incitato tractu intestinali et secretionibus auctis, incitatio morbosa aliarum partium pergere nequit. (§. 219.) Itaque in inflammationibus topicis, levioribus, maxime ophthalmiis, ipsoque erysipelate, conducunt saepius laxantia, dummodo protinus in initio exhibeantur, priusquam plures partes in consensum trahantur. Quodsi etiam orgasmus sanguinis hominem ita adficit, ut impetus versus nobiliores partes metuendus sit, laxantia adhibita, antiphlogistico modo agunt. (§. 211.)

Eodem consilio apta sunt laxantia, dum aliae eaeque molestae adsunt excretiones, quas sistere cupimus. Sic ptyalismus, sudores profusi, ipsaque modum excedens puris excretio optime mitigantur laxante methodo, quae a partibus adfectis humores revellit. Eidem fini idonea sunt in exanthematibus, quae vulgo sanescunt, si laxantia remedia alvum probe duxerint.

309.

Ad apotherapiam interdum laxantia exiguntur, si sordes per morbum generatae adsunt. Hae enim, si remanent, secretiones alias etiam depravant, ut metastases facile consequantur. Itaque convalescentibus e graviori morbo, praesertim, qui e variolis supersunt, exhibenda sunt laxantia, ut reliquiae morbi eliminentur, metastases autem praevertantur.

310.

Purgantia ipsa, fortiori et diutino stimulo intestina incitantia, idonea sunt, ubi vis sensifera torpet. Itaque in statu ἀπυρέτῳ, si sordes adsunt pituitosae aut atrabilariae tenaces, intestina vero languent, alvusque eam ob caussam obstructa est, utilia sunt.

Praeferenda etiam laxantibus sunt, si in morbis diuturnis incitamento egemus fortiori, quo vis sensifera suscitari, secretiones etiam et absorbtiones potentius agitari, adeoque et incitatio salubris et ipsa metasyncrisis (§. 171. 182.) produci potest. Itaque in hydrope praeprimis et aloë, et gummi Cambogiae, helleborus etiam et ipsum elaterium interdum proficua sunt, dummodo exploratum habeamus, a mero torpore vasorum absorbentium glandularumque ortum ducere. Hinc etiam usus purgantium in melancholia exponendus est.

c. *Contraindicantia.*

311.

Tam ſalubris atque late patens huius methodi uſus haud impedit, quominus noxas plures adferre poſſit. Namque primum monitum eſt, qui valetudine ſecunda gaudet, nullis egere nec laxantibus nec purgantibus, quae forte ad praecavendos morbos ſumuntur. Tantum enim abeſt, ut hunc effectum producant, ut potius et debilitatis, per ſtimulum, inteſtinorum viribus, et attractis, per ſecretionem auctam, pravis humoribus, ſanitati noceant et, abſorbtione cutanea aucta, contagium etiam facilius ſuscipere corpus cogant. Hinc iam Eraſiſtratus purgantium uſum in febribus intermittentibus et arthritide anomala taxavit, quod noxii humores attrahantur, qui ante non aderant. (*Cael. Aurel. chron. lib.* 5. *c.* 2. *Galen. de venaeſect. adv. Eraſiſt. Rom.* p. 15.)

312.

Prohibetur haec methodus excretionibus aliis ſalubribus et a naturae providentia excitatis, quae et pervertuntur et impediuntur hac curatione. (§. 308.) Plurimi morbi acuti penitus ſolvuntur blanda et univerſali perſpiratione cutanea, etiamſi alias et peculiares experiantur criſes. Illa igitur nequaquam impedienda eſt vel laxantibus vel purgantibus,

unde in apotherapia illa (§. 309.) instituenda cautissime procedendum, ne metastases oriantur, quas praevertere cupimus. Eruptio exanthematum, si necessaria est, variolarum exemplo et morbillorum, impeditur alvo cita, quae revellit humores a cute naturaeque ideo molimina perturbat.

313.

Nocent laxantia et purgantia, dum vires infractae sunt: namque debilitatem insigniter augent. Probe tamen distinguendus est virium languor, ex oppressione ortus, qui comitari potest sordium abundantiam turgoremque. Ubi vera adest debilitas, vel morbi diuturnitate, vel stimulorum violentia aut absentia etiam producta, vitantor laxantia et purgantia, quae maxime abdominis viscera infirmare solent. Hinc in febribus nervosis, intermittentibus etiam et arthritide atonica noxia sunt haec remedia.

314.

Contraria ei curationi est teneritas fibrae, vis sensiferae augmentum, proclivitas ad spasmos et inflammationes, quae omnino augentur his remediis. Purgantia inprimis offendunt infantum constitutionem: nec alvus eorum ducenda, nisi blandissimis laxantibus et oleis. In enteritide et peritonitide puerperali prosunt quidem quandoque, quae alvum leniter exonerant, sed tum demum, cum composita est

est inflammatio cum sordibus biliosis manifestis atque cum adhibentur, quae simul antiphlogistica sunt: e. g. hydrargyrum muriaticum mite. Sedulo tamen vitanda omnia purgantia, proprie sic dicta.

315.

Nocent purgantia, imo et laxantia, ubicunque sordes e morbo productae tutius removerentur caussis sublatis. Id in febrium intermittentium progressu contingit, ubi e febris ipsius natura ac indole sordes generatae ei demum methodo cedunt, quae caussam febris proximam tollit. (*path. spec.* §. 59.) Idem et in variis febribus acutis accidit, quae linguam sordidam saepe comitem habent aliaque saburrae indicia, neutiquam vero indicant purgantem methodum, sed quae caussae contraria est. Experientia docet, methodo laxante perperam adhibita continuo novam generari saburrae colluviem, imo ipsam interdum accedere humorum putredinem, ni citius ea exhibueris, quae morbi indoles poscit.

d. *Indicata.*

316.

Blande laxantia sunt vel generatim humectantia (§. 110. 111.), vel quae miti quodam acido praegnantia calorem attrahunt et constrictionem tollunt. Succi herbarum recens expressi et quae resolventia

diximus (§. 245.), ſerum lactis inprimis, pruna cocta et pulpa tamarindorum cum manna electa huc pertinent. Quibus ſi olea adduntur, blandiſſima praeſto ſunt remedia, quae obſtructionis cauſſas vulgares tollere et alvum ciere poſſunt.

Paullo potentius agunt ſales neutri: primum vegetabiles, kali tartaricum et aceticum, tartarus depuratus, natronatus et boraxatus: dein ſulfur: poſt ſales neutri minerales: natrum maxime ſulfuricum, magneſia ſulfurica, natrum denique phoſphoricum. Eorum vires et effectus ſuo loco ſpeciatim indigitavimus.

317.

Purgantia ſunt folia ſennae, radix rhei, ialappae, hellebori etiam nigri: gummi Cambogiae, colocynthides, ſcammonia, aloë et elaterium. Quibus omnibus hydrargyrum muriaticum mite palmam praeripit.

Art. V.

De lotio pellendo.

a. *Modus agendi.*

318.

Urina naturaliter aquoſorum humorum abundantiam, azotici praeterea copiam et ſalium phoſ-

phoricorum educi, in ſuperioribus (*phyſ.* §. 291. 292.) monuimus, unde neceſſitas eius excretionis et ſalubritas in morbis ilico patet. Acutorum enim plerorumque morborum ea ſolutio eſt, ut quae generata morbi violentia erant, hac potiſſimum via eliminentur, quod naturae molimen imitari artis eſt officium.

Nec negligenda eſt renum cutisque antagoniſmus, quo fit, ut aqua potiſſimum renes petat, vapores per cutem excernantur: unde alternare ſolet natura utramque ſecretionem, ut, promota hac illa ſileat: quod imitari etiam artis eſt.

319.

Quodſi igitur urinae flumen liberum promovetur, primum ſeroſorum humorum (*τὸ ὀῤῥῶδες* Galen.) copia minuitur, quod calori minuendo et incitationibus morboſis mitigandis inſervire poteſt. (*phyſ.* §. 303. 350. *path. gen.* §. 20. 21.) Deinde iisdem humoribus elementa animalia ſecedunt, quae, in corpore remanentia, magis incitare poſſent partes ſolidas: familiari hoc renum diverticulo utitur natura, ut morborum per ſuas aetates provectorum ſordes emungat.

320.

Magna etiam eſt et graviſſima diureſeos actio, quae revulſionem humorum ex aliis locis complec-

titur. Si qui enim humores ferofi et lymphatici in telae cellularis textibus accumulantur, hac potiffimum via poffunt eliminari, nifi peculiaribus conceptaculis inclufi fint.

Vaforum denique abforbentium vis augetur hac pariter excretione ac reliquis omnibus.

b. *Indicantia.*

321.

Indicatur igitur diurefis primum lotii flumine intercepto aut iufto parciori. Id quidem tum in acutis morbis tum in diuturnis non raro eo potiffimum nocet, ut calor augeatur, incitatio increfcat, adeoque crifes falubres impediantur. Dum cruditas febrium acutarum viget, lotium et parce fluere et turbidum effe confuefcit; qui humectantibus et antiphlogifticis forbitionibus urinae fluxum auget, cruditati finem imponere coctionemque praeparare poteft.

322.

Idque eo magis neceffarium eft, quo maior quibusdam morbis peculiaris ineft proclivitas, lotio critico terminari. Febres intermittentes, fcarlatina, febris nervofa acuta folent, etiam poft alias crifes, abfolvere tamen indicationem lotio ubertim fluente eaque fecum rapiente, quae morbi mora genita fue-

rant. Popularis morbi ingenium ſedulo indagandum eſt, ne haec proclivitas negligatur.

323.

Indicatur diureſis excretionibus aliis nimiis aut colluvie ſeroſa intra conceptacula telae cellularis, quae, revulſis huc humoribus, ſiſti poſſunt. Sudores nimii, ob antagoniſmum cutis renumque, huic fluxui cedunt. Colluvies autem ſeroſa et lymphatica, quae vel libera eſt intra telam cellularem, vel, poſtquam perfrixit, orta, neque cum viſcerum labe iuncta, neque in atoniam univerſalem prona, diureſi tollitur.

324.

Neceſſaria quoque diureſis, ſi in renibus aut veſica mucus vel arenulae, ſeu ea ſedent concrementa, quae lithiaſin minantur. A laxitate renum et torpore orta haec incitantibus cedunt, quae ſecretionis excretionisque vim in iis diverticulis augent.

c. *Contraindicantia.*

325.

Generatim quidem in febrium curatione abſtinendum eſt a diuretica methodo cum natura hanc excretionem haud molitur, cum crudus etiamnum eſt morbus, nec idonea humorum aquoſorum copia

renes petit. Quod ſi accidit, ea ſaltem imperanda ſunt, quae obſtacula removere et copiam humorum per lotium excernendorum augent: ſed vitanda ea, quae proxime renes ſtimulant. (Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.)

326.

Dein, quae proxime renes et veſicam incitant, vitanda ſunt, ſi haec organa iam vel inflammata vel exulcerata, vel alio incitamento adfecta ſunt. Abstinendum igitur a diureſi in hydropibus, cum renes forte iam labem contraxerunt.

Denique etiam liquet, hanc excretionem nocituram eſſe, cum vires iam defecerint: nulla enim excretio arte excita tentanda eſt, priusquam, ſuffecerint vires, inquiſiverimus. (Ὁκοίῃ ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν.)

d. *Indicata.*

327.

Multa ſunt, quae haud proxime diureſin movent, ſed obſtacula potius tollunt et materiem ſuppeditant, qua renes ad excretionem indigent. Haec, tum in victus ratione ſita, tum in curandi ratione generali, tutiora ſunt propriis diureticis, neque facile contraindicantia patiuntur.

Obſtacula, quae libero lotii flumini contraria ſunt, in ſpaſmis ſaepenumero verſantur: quod plerumque in morbis nervoſis contingere ſolet. Itaque fovendae partes mollientibus et ſedantibus; alvus eluenda; oleo delibuendum infimum abdomen et perinaeum. Potiones e mucilaginoſis humectantibus exhibendae: maxime vero ſpiritus nitrico-aethereus, qui fugaciſſimo ſtimulo ſpaſmos ſedare et diureſin ita promovere ſolet.

Alia obſtacula quaerenda ſunt in nimio aeſtu febrili et incitatione vaſorum ſanguiferorum. Quibus occurrimus antiphlogiſtica methodo, ipſaque ſanguinis miſſione.

Quodſi tenaces adſunt humores, ſi ſtaſis abdominalis accuſanda eſt, iuvat reſolvens methodus, quae, ſi expedit, etiam lotium pellere conſueſcit. Ita laxitas cum tenacitate iuncta roborantibus, uvae urſi exemplo, tollitur. Sed victus rationem ſimul ita adminiſtrare expedit, ne acidum uricum, quo mucus congelaſcit, generetur, potiones quoque leviter diureticae commendandae.

328.

Optime diureſin promovemus, aucta humorum aquoſorum copia. Id fit humectante methodo; maxime proſunt aquae ſoteriae acidulae, quae acidum carbonicum continent, fons Selteranus, Geilnavienſis, Kiſ-

ſingenſis etc. Eodem conſilio commendanda balnea et humidus aër. Potiones quoque acidulae, e fructibus horaeis paratae: tartarus depuratus: acidum tartari aqua dilutum: acida alia ipſaque mineralia: vinum rhenanum, praecipue vero molellanum egregiam habent virtutem diureticam.

329.

Ipſa quod attinet diuretica, quae peculiari modo renes et veſicam incitant, ſecretionique et excretioni favent, alia ſunt mitiora, ut herba petroſelini, quae infuſa et cocta, absque ulla graviore irritatione diureſi favet. Kali etiam carbonicum et ſales neutri et hydrargyrum muriaticum mite ita urinam cient, ut aeſtum ſimul compeſcant. Ubi cum muci concrementis acidum uricum praevalet, arenulis in lotio apparentibus, magneſiam carbonicam ſumme proficuam invenit Brandius. (*Gilb. Ann.* 50, p. 178.)

330.

Potentiora ſunt, quae reſinoſo principio ſcatent: radix praeſertim rhei, ſcilla, digitalis purpurea, Viola tricolor, baccae Iuniperi, balſama naturalia, noviſſime cantharides. Ad haec confugiendum eſt in atonia organorum diuturna, in muci colluvie et laxitate inſigni: vitanda autem in omni ſtatu febrili.

Art. VI.

De methodo diaphoretica.

a. *Modus agendi.*

331.

Perſpirationem cutaneam et ſudorem, quomodo differant, quamque graves ſint excretiones, in ſuperioribus (*phyſ.* §. 274. ſ. *path. gen.* §. 119.) praecepimus. Id tamen hic repetendum eſt, per nullum fere organon in tot morbis impura humorum elementa, morborum vi generata, excerni, quam per cutem; cuius ratio vel ex ingenti vaporum copia (*phyſ.* §. 272.) vel ex ambitu cutis, inſignique conſenſu, cuius ope cum plerisque organis nectitur, elucet.

Id tamen protinus praecipiendum eſt, et perſpirationem cutaneam et, qui maxime e laxatis ductulis excretoriis declarandus eſt, ſudorem a mediocri quadam vaſorum ſecernentium efficacia naſci, quae etiamſi arteriarum maiorem incitationem, capillarium tamen et ductulorum eam remiſſionem ſupponat, ut excerni ſuperflua elementa cum humoribus organicis poſſint. (*phyſ.* §. 273.) Id etiam vulgaris confirmat obſervatio de pulſibus mollioribus, magis rhythmum ſervantibus, qui ſudores criticos praecedere ſolent. (*path. gen.* §. 252.)

Haec arteriarum incitatio sudores praeprimis antecedens, si remediis producitur, aeque utilis esse ac noxia potest. Incitans enim methodus, quae diaphoresin saepenumero habet sequelam, quanta commoda adferat, quot etiam damna, in superioribus (§. 149 — 162.) uberrime docuimus. Itaque et diaphoretica methodus, ni caute administretur, et orgasmum augere et vires pariter erigere ac perturbare potest, cutisque functiones abnormes aeque tollere ac nova vitia producere.

332.

Sed praecipue ratio est habenda incitati systematis cutanei, propulsorum eo humorum et evacuatorum; quo facto tum revelluntur humores ab internis partibus, tum corpus liberatur incitamentis molestis et exaestuantibus, ut refrigeretur etiam post sudores (§. 205. 211.), tum aequabilis vis sensiferae distributio restituitur, quae occlusis spiraculis cutaneis turbata erat.

Si quae sanguinis elementa praedominantur, si acres praesertim humores sunt, perspiratione cutanea et sudoribus blandis ea acrimonia eliminatur, purgantur humores atque sanguis normalem recuperat mixtionem: unde *haematocathartica* haec remedia dicta sunt. Sed nequaquam hactenus intelligendum id est, quasi omnis sanguinis proclivitas ad corrup-

tionem omnisque humorum acrimonia ſudoribus excitatis curari poſſit. Peculiares ſolent humores id ſingulare habere, ut, perſpiratione continuo aucta, purgentur: quod uſu ſolummodo diſcendum eſt.

Quanquam denique contagia interdum vaporibus cutaneis diſpergantur et e corpore diffugiant, haudquaquam tamen licet, niſi natura ipſa viam nobis monſtret, methodo diaphoretica hunc in finem uti.

333.

Inſignis antagoniſmus cutanei ſyſtematis et renum, illius et tractus inteſtinalis ita agit, ut perſpiratione aucta et ſudoribus profuſis ſiſtantur excretiones nimiae in illis viſceribus. Nec negligenda eſt ſimilis ceſſatio colluviei aquoſae in tela cellulari. Itaque utiliter agit haec curandi ratio ad reſtituendum aequilibrium tunicarum mucoſarum ſeroſarumque, exhalationis et abſorbtionis, internae et externae exhalationis.

b. *Indicantia.*

334.

Indicatur primum haec methodus ſuppreſſa perſpiratione, quae ex inquinamentis cutis, ex ariditate ſpaſmisque eius, ex ingenti febrium vehementia

nascitur, facileque cognoscitur aspritudine cutis et siccitate, pulsuum duritie rhythmoque laeso, raucitate vocis et oculi indole arida. Tum in acutis morbis, tum in diuturnorum initio et decursu perspirationem restituere expedit, etiamsi aliae curationes exiguntur, ut hac potissimum via natura molimina sua perficere possit. Sic maximi interest, in syphilitici ipsius morbi curatione protinus balneis aliisque rebus, quae perspirationi favent, spiracula cutanea aperire, antequam hydrargyro utamur: idque ipsum iuvat ita exhibere, ut diaphoresin potius moveat quam alias excretiones.

335.

In acutis morbis naturae nutus saepe nos cogunt ad sudores proliciendos. Febres enim variae, intermittentes, catarrhales, rheumaticae, exanthematicae, inflammatoriae, nervosae: dysenteria ipsa: tum quoque adfectus chronicorum malorum, arthritici et spastici terminantur fere naturae adminiculo per sudores, qui saepe peculiari odore ostendunt singularem accidere humorum secessum, quo facto et apertis oscillis cutaneis remissio gravioris incitationis contingit. Qui quidem naturae nutus sedulo studioseque observandi et imitandi sunt. In febribus acutis instituenda est haec curatio, cum, aegritudine per aetates suas provecta, pulsus molliores sunt, febris semet remisit, ipseque mador in axillis indicat,

naturae congruam esse hanc evacuationem. In decremento utplurimum morbi atque post alias crises, hoc velut complementum accedit. Nonnunquam tamen, perturbatione graviore praegressa sudoribus profusis omnis morbus brevi decernitur; quod si rite observatum fuerit, magnopere interest, succurrere naturae consilio idque perficere, quod ipsa molitur.

336.

Quodsi morbus nondum formatus est, statim in initio saepe suffluminatur, si contagium forte studemus perspiratione aucta eliminare, aut, si e perfrigerio ortus, ilico sudoribus profusis restituere normalem cutis functionem studemus. Quod priori praecepto minime repugnare, patet vel e comparatione eorum, quae de vomitu in morbi initio nondum formato diximus. (§. 290.) Febrem castrensem malignam hoc modo statim initio in fugam versam esse, Pringlius saepe expertus est. (*diseases of the army*, p. 290.) Gregorius id praeceptum generatim iniungit. (*elem. of pract.* §. 102.)

337.

In variis adfectibus cutaneis prodest perspirationem cutaneam promovere, ut remissio ea contingat, quae aequabilis virium distributionis adeoque normalis secretionis restitutionem attrahit. Febres quidem

exanthematicae, si essentialis est et necessaria exanthematis eruptio, melius curantur, obstaculis diapnoës cutaneae remotis quam ea methodo, quae proxime cutem stimulat. Sed in exanthematibus diuturnis et ἀπυρέτοις summe proficua est diaphoresis, ut interceptae functiones cutaneae restituantur. Quid quod ipsi sudores profusi, ob ingentem totius vasorum systematis incitationem salubri corporis mutationi producendae pares sunt, ni exanthemata internis caussis sustinentur. Remedia etiam incitantia tum demum optimo effectu coronantur, cum perspirationem liberam producunt et ipsos sudores eliciunt. (§. 145. 165.)

338.

In morbis ab arthritide anomala ortis magni est momenti diaphoresin elicere, siquidem et devius impetus versus interiora ea revocatur iterum ad ambitum et restituitur normalis functio cutanea, si continuo servatur vaporum per cutem exhalatio. Pleraque remedia, in ea aegritudine laudata, ut guaiacum, aconitum, aquifolium, sulfur etiam stibiatum et Rhododendron chrysanthum, finem tum demum consequuntur, si diaphoresin iugiter promoverint.

339.

In morbis spasticis diuturnis utilissima est methodus diaphoretica, ut, remissione hac oborta,

aequabilis restituatur vis sensiferae dispensatio et consumtio imponderabilium augeatur. Natura ipsa id docet, terminatis accessibus morborum eorum per sudorem foetidum: pleraque etiam remedia paregorica tum demum optimum producunt effectum, cum ἀτμίτειν faciunt corporis, aut vel vapores cutaneos servant, vel ipsos sudores proliciunt. (§. 201.)

340.

Denique prodest haec curandi ratio in variis morbis tunicas mucosas serosasque ipsamque telam cellularem adfligentibus. Consensus et antagonismus, qui cutem intercedit aliaque organa, necessariam reddit hanc excretionem, ut aequilibrium absorbtionis et exhalationis revocetur. Hinc in cachexiis, maxime hydropicis magnopere prodest, sudores prolicere, dummodo aliae graviores caussae, viscerum labes aut venarum turgor vasa absorbentia comprimens, defuerint. Ita et in morbis hydrargyrosi productis utilissima est diaphoresis ipsorumque sudorum provocatio, ut nimia exhalatio et solutio humorum hydrargyro producta cessent.

c. *Contraindicantia.*

341.

Tot commoda huius methodi non impediunt plurima detrimenta, quae, dum perperam administratur, cieri solent.

Et primum quidem in initio formati iam morbi acuti, dum cruda funt omnia, infigniter nocet naturam cogere ac compellere ad excretionem, quam, fibi commiffa, haud moliretur. Neque finamus nos irretiri ortu febrium e perfrigerio, indole earum catarrhali feu rheumatica: poffunt ea quidem averti fudoribus (§. 336.), et, dum aetates fuas percucurrerunt, fpontaneis fudoribus terminantur. (§. 335.) Sed *τὰ πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ.*

342.

Obftat huic curandi rationi orgafmus fanguinis eiusque abundantia et impetus in nobilia organa, fi ea remedia elegeris, quae proxime incitant fyftema cutaneum. Turbantur enim vires et pervertuntur, fanguinis impetus augetur functionesque organorum vitalium fupprimuntur. Quod ex iis iam patet, quae de detrimentis incitantium generatim monuimus. (§. 160.) Hinc in inflammatoriis morbis, in febribus continuis, in arthritide activa, quamdiu impetus infignis viget, noxia funt diaphoretica proprie fic dicenda.

343.

Quodfi natura aliam molitur evacuationem, noxium eft hanc perturbare provecata diaphorefi. (§. 161.) In febribus biliofis proficua eft alvus liquida,

quida, quam praepoftere fiftimus, dum fudores arte prolicere audemus. Solent quidem et vomitus et diarrhoea, fi κριτικῶς exiftunt, fudoribus levantibus terminari; fed nihil anticipare debet medicus, neque intempeftive agere.

344.

Nocet diaphorefis, fi primae viae fordibus fcatent, fi alvus obftructa eft et ftafes vafa abdominalia occupant. Quodfi urget eius excretionis neceffitas, prius removenda funt obftacula; alvus molliendà, fordes educendae, ftafes refolvendae, priusquam in cutem agatur. Maxime noxia funt diaphoretica, quae proxime cutem adficiunt, fi putrida illuvies primas vias occupat. Haec enim nonnifi augeri et in fanguinem ipfum intrudi poteft incitantibus iis adhibitis, quae diaphorefin movent.

345.

Denique et viribus profpiciendum eft. Robur enim corporis nulla alia fere evacuatione magis infringitur et exhauritur, unde et in morbis acutis abftinendum eft ab hac curatione, fi vires proftratae funt, et in cachexiis diuturnis, cum iam in praecipiti effe aeger videtur.

d. *Indicata.*

346.

Satius eſt, obſtaculis remotis, naturae nutibus promotis et victus ratione idonea diaphoreſin producere, quam incitantibus fortioribus compellere naturam ad ſudores, quibus vires et perturbantur et infirmantur.

Obſtaculis removendis inſerviunt, quae cutis inquinamenta tollunt, ῥυπτικὰ Galeno dicta: balnea nimirum tepida, lotiones et veſtimenta lanea, pura.

Alia obſtacula, et frequentiſſima quidem, ſpasmos complectuntur, inaequabili virium dispenſatione obortos, quos amovemus fugaciſſimis incitamentis, moſcho, valeriana, ſpiritibus aethereis; vel ipſis narcoticis, opio, hyoscyamo; vel nauſeoſis, ipecacuanhae praeprimis radice, parcis doſibus exhibenda et ſulfure ſtibiato aurantiaco aut vino ſtibiato. Haec etiam ita agunt, ut ſordes, ſi forte adſunt, ſolvant et educant.

347.

Alia proxime in vaſa cutis capillaria, quae perſpirationi praeſunt, ita agunt, ut vel laxent ea vel incitent. Huc praeprimis fomenta ſicca, unctiones cutis, quae oleis aethereis, aqua Lucii, reginae hungaricae aut colonienſi, tartaro etiam ſtibiato et balſamo ſulfuris fiunt, ſinapiſmi et veſicatoria ipſa

pertinent. Electricum quoque flumen proxime in cutem directum perfpirationem augere folet.

343.

Tandem ea advocanda funt quae vaforum fyftema incitant, minus tamen cor et truncos, quam ramos in vafa capillaria abeuntes. Haec igitur vapores augendo calorem fimul minuunt. Praeftant id fragrantia, infufum florum fambuci; fales quidam neutri, maxime ammonium aceticum et liquor ammonii fuccinici; fulfur etiam et graphites, maxime vero camfora. In vafa maiora fimul agunt et calorem fimul ita augent, ut nonnifi in ftatu chronico adhiberi poffint, refinofa acria volatilia, ut guaiacum, aconitum, ftipites dulcamarae; tum balfama naturalia et aromatica, radices praeprimis ferpentariae et angelicae, quae, fi febris femet remifit, utique in morbis etiam acutis fumme proficua funt. Denique hydrargyrum muriaticum mite cum fulfure ftibiato, camfora et opio mixtum, quae quidem mixtio in ftatu chronico perquam utilis eft, ut incitetur corpus, metafyncrifis moveatur et fudores provocentur.

349.

Victus ratione promovere diaphorefin oportet; calore cubiculi lectique mediocri; animi quiete et forbitionibus analepticis leniterque diapnoïcis: cof-

feae, ſi nihil obſtat et theae. Multum etiam intereſt, in matutinas differre horas hanc excretionem, ne ciborum forte digeſtio turbetur: induſia denique et veſtimenta cubitoria mutare, ſi ſudoribus madent.

Art. VII.

De ſputis promovendis.

a. *Modus agendi.*

350.

Membrana mucoſa bronchia intus obveſtiens, glandulisque muciferis pertexta, naturaliter praeter vapores mucum etiam ſecernit, quo lubricae eae viae ſervantur. (*phyſ.* §. 200.) In glandulis bronchialibus ſimilis latex ſecernitur, ſublividus tamen, cum muco tenui illius membranae interdum mixtus. (*ib.* §. 201.) Haec quidem muci copia augetur variis morbis, praeſertim catarrhis et inflammationibus eorum organorum: pervertitur etiam muci indoles: additur nonnunquam pus aut ſanies, ſi vomica iuxta eſt, aut ſuppuratio membranam mucoſam corripit: additur denique ſanguis, ſi impetus eius in pulmones adeſt. Ea omnia *ſputorum* nomine comprehenduntur: quae et in ſanis hominibus, dummodo paullo laxiores ſint glandulae muciferae, quotidie ſcreatu aut leviſſima tuſſicula efferuntur.

351.

Non novum eſt, variis morbis ſputorum eiectionem ſalubrem eſſe. Namque et ambitus ingens eius membranae et conſenſus cum tunica mucoſa externa ipſaque, quae inteſtina obducit, et neceſſitas remiſſionum, ſi laxatis ductulis excretoriis humorum copia educitur, id exponit. Itaque naturae conſilium ars imitatur, dum obſtacula liberae huius excretionis removet, ſpaſmos tollit, inflammationem mitigat, praeſertim dum ſyſtema cutaneum ad normam ſanitatis revocatur. Namque diaphoreſis leniter ſervata egregio eſſe adminiculo ſolet, ut ſputa promoveantur.

Finem ſperatum quoque attingimus, ſi, ubi mucus deficit, tunicam mucoſam aridam humectamus, lubricamus et mollimus; denique, dum adeſt mucus, ſed eiici ob laxitatem partium nequit, finis potimur, ſi incitantia ea exhibemus, quae ſpecifico modo tunicam mucoſam adficere et ad motus congruos irritare valent.

b. *Indicantia.*

352.

Indicatur autem haec methodus primum, ſi morbi catarrhales et pectorales ea viarum ſiccitate laborant, ut mucus naturalis deficiat, ut criſis igi-

tur, quam natura moliri ſolet, conſequi nequeat. In catarrho pulmonum epidemico (*path. ſpec.* §. 59.), in pneumonia rheumatica (*ib.* §. 248.), notha (*ib.* §. 251.), in aſthmate, hydrothorace, phthiſi denique tuberculoſa aridae ſaepius viae aëriferae neceſſariam reddunt hanc curandi rationem.

Sed maxime circumſpiciendae ſunt morborum aetates, ne properemus excretionem, quam natura nondum molitur. Nihil vulgarius eſt, quam in initio et ipſo vigore pneumoniae areſcere vias aëriferas: has igitur praepropere exagitare, mollire et ad excretionem ſtimulare temerarium eſt, cum naturae molimina pervertantur. In progreſſu morbi, ſi repente forte exareſcit aſpera arteria, atque ſputis, quae arte efferrentur, ſuppreſſis functiones pulmonum turbantur et ſufflaminantur, properato opus eſt, ut ſputa reſtituantur. Sic et in morbis diuturnis pectoralibus, ubi ſicca ſunt haec organa, in cauſſam inquirendum eſt, qua ſublata optime ſputa reſtituuntur.

353.

Sputa provocare opus eſt, ſi mucus quidem adeſt, ſed nimia copia adeoque tenax, ut ipſis partium viribus eiici nequeat, ut opprimantur igitur viae aëriferae. Id et in catarrho inveterato, et in phthiſi pituitoſa et in hydrothorace, in ſenibus etiam

languore virium confectis accidere conſueſcit. Urget ſaepe neceſſitas huius curationis, ſi ſuffocationem haec muci colluvies minatur. Nec poteſt niſi iis remediis, quae proxime incitant tunicam mucoſam, haec excretio promoveri.

354.

Denique et puris collectio intra vomicam et ſecretio morboſa eius in tunica morboſa indicat ſputorum promotionem; ſi vicina bronchiis maioribus vomica eſt, ſi matura eſt et prona ad rumpendum; ſi denique puris adſidua generatio e laxitate potius pulmonum quam ex inflammatione vegeta naſcitur.

c. *Contraindicantia.*

355.

Sicut aliorum humorum propulſiones aetatibus morborum reſpondere debent, ita in hac praeprimis, quod iam ante (§. 352) monuimus, nihil praecipitandum eſt. Contraindicatur enim cruditate morborum, catarrhi et inflammationum initio eaque vehementia, quae ſeceſſum humorum impedit.

356.

Prohibetur etiam, ſi ſanguis, pus et ſanies aut mucus etiam tenax parenchyma ipſum pulmonum occupant, unde haud facile in bronchos maiores eii-

ci possunt. Plaga pulmonibus inflicta, sanguis pulmones inundans nequit hac methodo educi: neque pus, quod intra pleuram et pulmonum superficiem sedat, empyemate oborto: neque lympha in hydrothorace peculiaribus conceptaculis contenta.

Nec, ubi evacuare licet sputa, soli huic eiectioni insistendum est, cum, continuata hac methodo, facilius laxitatem pulmones eam contrahant, ut nova continuo sputa gignantur.

d. *Indicata.*

357.

Optime sputa prolicimus, si impedimenta amovemus. (§. 351.) Itaque coctio generatim promovenda est, spasmi mitigandi sunt, sordes primarum viarum solvendae et eiiciendae, diaphoresis leniter sollicitanda; impetus denique sanguinis vehemens revellendus est, ut vasa capillaria liberius agere et transitum humorum secretorum faciliorem reddere possint.

358.

Si mucus naturalis deficit, viae aëriferae exaruerunt, lubricantia requiruntur, quae licet pro tempore tantummodo opitulentur, in tussi tamen sicca et pervicaci utilissima sunt. Pasta althaeae, glycyrrhi-

za, gummi arabicum, saccharum et oxymel, iuiubae et siliquae dulces, passulae maiores et minores, ipsum denique cetaceum, caute adhibita, nec diu continuata, optime sputa promovere solent.

359.

Si secretio ipsa promovenda est et stimulandae viae aëriferae, radicem Iris florentinae, fructus foeniculi et anisi, sulfur stibiatum et aurantiacum et rubrum et ammonium muriaticum adhibemus. Specifico modo agunt Asa foetida, radix enulae, ammoniacum, scilla, benzoë, myrrha et radix senegae; quae in diuturnis malis pectoris variam utilitatem praebent, sicut id in pharmacologicis uberius docuimus. Prodest etiam inhalare vapores coctarum plantarum mollientium et oxymellis, ut et lubricentur partes et si qua adest vomica in bronchos maiores depleatur.

Cap. XI.

DE HUMORUM CURSIBUS PRAETERNATURALIBUS REGENDIS AUT COMPESCENDIS.

Art. I.

De ſanguinis profuſionibus cohibendis.

360.

Quamvis curatio haemorrhagiarum perfecta varia eſt pro varietate cauſſarum (*path. ſpec.* §. 374.); quamvis inprimis ratio eſt habenda activae aut paſſivae virium indolis et inaequabilis earum distributionis (*ib.* §. 369. 370.); opus tamen eſt, quamvis ſanguinis profuſionem, ſi nimia fuerit, ſi exhauſta vita praecipitatura eſt aegrum (*ib.* §. 373.) ei obviam ire eaque imperare, quae vel mechanico modo, vel chemico vel etiam dynamico, vaſa minima rupta aut laeſa contrahere, thrombum ſanguinis producere eaque ratione ſanguinem cohibere valent.

361.

Haec quidem prima indicatio perficitur iis rebus, quae ad loca profluvii adhibita citam vaſorum contractionem adſtringendo producunt. Maxime neceſſariae in haemorrhagia e laceratis, vulneratis aut alio modo laeſis vaſis, ſumme etiam utiles in haemorrhagiis, quae laxitatem et atoniam vaſorum, ut cauſſam

agnofcunt; cafum tamen recipiunt in activis fanguinis profluviis iisque, quae ex inaequabili virium dispenfatione, e fpafticis vaforum aliis locis conftrictionibus et ex incitamentis morbofis exiftunt. Vidimus enim (§. 86 87.) adftringentia incitatione aucta faepius nocere et teneritate partium atque ad fpafmos proclivitate vetari. Itaque Hippocratis dictum: ἐς τὰ ἔσχατα νουσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται probe tenendum eft.

Frigus ad id optimum praefidium eft. Aqua glacie mixta, ipfa glacies et nix partibus cruorem effundentibus, vel vicinis appofita: fales etiam neutri, ammonium praeprimis muriaticum, natrum fulfuricum et muriaticum aqua foluta et aceto mixta commode imponuntur parti. Quid quod ipfe fal culinaris ingeftus ita creditur fanguinis profufiones fiftere, ut frigus fubitaneum producat. (*pharm.* §. 237.) Ad quem finem etiam nitrum exhibemus, quod, ne noxium ftimulum moveat, in fpiritu frumenti folvunt. (*Selle de curand. hom. morb.* p. 584.)

Simili modo et acida agunt, in quibus alumen et extus applicitum, et intus fumtum cum mulcentibus et mucilaginofis paffivas haemorrhagias optime faepius fiftit. Huc et acidum fulfuricum pertinet, quod fpiritu vini mixtum, in aqua Rabelii vel elixirio acido Halleri praefidiis egregiis ad fanguinis profufionem fiftendam adnumeratur. Acido etiam

phoſphorico ſuae tribuuntur laudes. (*pharm.* §. 266.) Optime acida cum narcoticis iunguntur: acidum praeprimis ſulfuricum cum tinctura opii, ſi ſpaſticae ſimul adſunt conſtrictiones vaſorum remotiorum.

Alcohol contrahente vi topice applicitum nonnunquam epiſtaxin ſaltem feliciter cohibet.

Plumbum aceticum eodem conſilio adhibetur, quod cum opio interne datum nuper laudes meruit; ſed anceps eſt remedium, quod nonniſi in maxime ancipiti caſu experiri licet. Cuprum ſulfuricum et aqua ſtyptica ex eo parata ſimilia praeſtant.

Nec negligenda ſunt, quae mechanice agunt. Compreſſio vaſorum per digitos et torcularia; turundarum, ſpleniorum gradatorum, linteorum carptorum, quae catechu, boletum fomentarium, boviſtam, ſarcocollam, et kino aut alia excipiunt adſtringentia; maxime vero gummi arabicum et tragacanthae cum adſtringentibus mixta ſanguinis profuſiones e naribus ſaltem, dentium evulſionem ſequentes aut topicas alias ſiſtere poſſunt. Quae ubi applicantur, ſtudendum eſt, ea loco ei, unde ſanguis proruit, immittere, ne, fonte iugiter manante, irrita ſint conamina. Quodſi igitur e naribus cruor profunditur, ſuadent inteſtinum ſuillum ſiccatum ita naribus indere, ut per illius extremam partem apertam infundi poſſint haematoſtatica.

362.

Quodſi activa fuerit haemorrhagia, febre ſtipata; e ſuppreſſis aliis haemorrhagiis orta; in homine plethorico, robuſto obvia; pulſibus fortibus et plenis iuncta; opera danda eſt, ut orgaſmus ſanguinis compeſcatur, cordis arteriarumque activitas nimia minuatur, ne continuo inde ſanguis in loca adfecta irruat. Id quidem praeſidiis iis, quae ſanguinem minuunt, revellunt et aeſtum nimium compeſcunt, perficientes circumſpectionis tamen opus habemus, ne, quae huic quidem vitio apta ſunt, alium ſtatum attrahant, aeque noxium, debilitatem nimirum vaſorum, qua pariter haemorrhagiae ſustinentur. Sanguinem mittendum eſſe in haemorrhagiis activis, ſupra (§. 259.) docuimus. Simul tamen victus ratio antiphlogiſtica eaque remedia, quae orgaſmum minuere valent, (§. 209. 210.) adhibenda ſunt.

Hinc maxime quies, ſecuritas et ſilentium, ut cum Celſo loquar, commendanda ſunt. Cubiculi aër ſit frigidiuſculus; culcitae plumeae et veſtimenta cubitoria calida vitentur. Incumbat aeger ſtragulis e crinibus equinis aut ſtramine factis: ſoluta ſint membra a vinculis et veſtibus arctioribus. Lucis nimia incitatio prohibenda: ſonitus omnis arcendus. Ubi haemoptyſi aut epiſtaxi laborat, ſitum ſervare iuvat erectum: ſi nimia ex utero eſt ſanguinis profuſio, ſupina cubare, genubus contractis, aegra de-

bet. Magnopere prodeſt, a cibis potibusque exaeſtuantibus et irritantibus abſtinere: ſufficit ſorbitiones propinare ex oxymelle, acido ſulfurico diluto cum ſyrupis; acidulas etiam ex acido tartari, tartaro depurato, e fructibus horaeis; nitri demum ſolutionem cum gummi arabico et mucilaginoſis.

363.

Ad haec, in omni haemorrhagia cauſſis irritantibus removendis ſtudendum eſt. Mulieres, metrorrhagia laborantes, ea non liberantur, niſi, dum parturiunt, placenta ſolvatur (*path. ſpec.* §. 400.), dum partum iam enixa ſunt, grumi e ſecundinis reſidui educantur. (*ib.* §. 401.) Quodſi neque parturiunt, neque gravidae ſunt, polypi uteri, ſcirrhi, ſteatomata, inverſio uteri et procidentia reſpiciuntur: quae vitia niſi curaveris, haemorrhagia omnia medentium conamina eludet.

In aliis haemorrhagiis ſordes ſaepe primarum viarum, ſtaſes abdominales, vermes etiam accuſantur, quibus ſanguinis impetus excitatus tum demum quieſcet, cum cauſſas illas removeris. Alvus adſtricta, qua orgaſmus ſaltem ſustinetur, clyſmatibus mollientibus curanda eſt.

364.

Super haec, ut perfecta haemorrhagiae curatio inſtituatur, inaequabilis virium diſpenſationis ratio

habenda eſt. Haec ſaepenumero ea eſt, ut truncorum maiorum ratio ad ramulos minimos laeſa ſit: habitualis profecto diſpoſitio ad haemorrhagias et aneuryſmata. (*Matani et Weltin in Lauth. ſcript. de aneuryſm.* p. 324. 483.) Sic varices interni haematemeſin producunt. (*path. ſpec.* §. 383.) Frequentior hac ratio laeſa eſt inter vaſorum ſanguiferorum ſyſtema et vaſa capillaria, quae conſumtura ſunt ſanguinem; unde a rheumatiſmo, perfrigerio, functione cutis perturbata, haemorrhagiae naſcuntur. His ſuccurrendum eſt iis, quae vaſorum capillarium functionem reſtituunt, perſpirationem promovent et aequabilem imponderabilium diſtributionem. Proficua ſunt emetica parvis doſibus exhibita, praecipue radix ipecacuanhae, quae cum opio iuncta utiliſſima eſt ad haemoptyſin et metrorrhagiam, ſi inaequabilem virium diſpenſationem ſequuntur. Camforam etiam et liquorem ammonii ſuccinici aut radicem valerianae exhibent.

Huic praecipue caſui idonea eſt Digitalis purpurea, quae arteriarum maiorum vim minuit, dum vaſorum capillarium functionem reſtituit. Itaque tum tincturam eius, tum pulverem cum aequali portione hydrargyri muriatici mitis et opii in ſanguinis profuſionibus inſignem praeſtare uſum compertum habemus.

Huc et ipſum opium referimus, quod, excitato momento irritabili arteriarum, vim ſenſiferam minuere, ſtatuimus. (*pharm* §. 230. 231.) Tincturam opii praeſentanea ſaepe ſiſtere commoda, ſi ſanguinis profuſiones e ſpaſticis exſiſtunt conſtrictionibus, certum eſt. Oleum hyoſcyami coctum cum gummi arabico parem praeſtare uſum nupera docuit experientia.

Externe denique adhibentur, quae vaſa capillaria incitant aut ſtimulos in cutem revellunt. Lavacra pedum e cineribus clavellatis, ſinapi aut e kali cauſtico; cucurbitulae in epiſtaxi occipiti impoſitae; veſicatoria in haemoptyſi ſcapularum interſtitiis applicita, in metrorrhagia etiam in femoribus collocata, ita tamen, ut praeter rubedinem cutis nullam diuturnam ſeri ſecretionem excitent: haec ſaluberrimo conſilio adhibentur.

365.

Tandem verae atoniae et laxitati ſaepius obviam eundum eſt, quae tum in ſcorbutica diatheſi tum in putridis febribus, tum etiam in mulieribus, quae a menſtruis deſici incipiunt, accuſanda eſt. Firmanda ſunt vaſa, totique corpori aut parti ſaltem adfectae robur reſtituendum, quod, veterum conſilio, fit deligatis membris: utilis quidem interdum adminiſtratio, ſed ſaepe irrita. Satius eſt acida mine-

mineralia cum cortice peruviano: tincturam praecipue cinnamomi exhibere in metrorrhagia, quae ex atonia vaſorum originem ducit. Martialia quoque nonnunquam proſunt: ferrum praeprimis ſulfuricum et liquor ſtypticus Looſſii. (*pharm.* §. 362.)

In ſcorbutica diatheſi et putrida acidum carbonicum expeditiſſimum eſt, vel in potione Riveriana aut mixtura Hulmiana, vel in aqua Selterana et Geilnavienſi exhibitum, vel externe in rebus fermentantibus applicandum. Acida itidem mineralia proficua ſunt, cum vino et ſpiritibus aromaticis: cortex peruvianus, kino denique et catechu.

Art. II.

De cohibendis aliis profluviis.

366.

Quodſi alii humores praeter naturam effluunt, primum diſpiciendum eſt, curationem admittant, ſive ſecus. Nonnulla enim profluvia, a natura excitata, morbos potius ſolvunt quam efficiunt: ideoque ſalubria ſibi committenda ſunt: diarrhoeae exemplo et ptyaliſmi, urinae quoque largo fluxu, quibus morbi acuti non raro indicantur. Et in ipſis diuturnis morbis, quamdiu affluit aliquid, vel praeter naturam generatum, meliuſcule ſemet habere ſolet aeger, quia ipſae ſtaſes non raro profluviis

Huc et ipfum opium referimus, quod, excitato momento irritabili arteriarum, vim fenfiferam minuere, ftatuimus. (*pharm* §. 230. 231.) Tincturam opii praefentanea faepe fiftere commoda, fi fanguinis profufiones e fpafticis exfiftunt conftrictionibus, certum eft. Oleum hyofcyami coctum cum gummi arabico parem praeftare ufum nupera docuit experientia.

Externe denique adhibentur, quae vafa capillaria incitant aut ftimulos in cutem revellunt. Lavacra pedum e cineribus clavellatis, finapi aut e kali cauftico; cucurbitulae in epiftaxi occipiti impofitae; veficatoria in haemoptyfi fcapularum interftitiis applicita, in metrorrhagia etiam in femoribus collocata, ita tamen, ut praeter rubedinem cutis nullam diuturnam feri fecretionem excitent: haec faluberrimo confilio adhibentur.

365.

Tandem verae atoniae et laxitati faepius obviam eundum eft, quae tum in fcorbutica diathefi tum in putridis febribus, tum etiam in mulieribus, quae a menftruis defici incipiunt, accufanda eft. Firmanda funt vafa, totique corpori aut parti faltem adfectae robur reftituendum, quod, veterum confilio, fit deligatis membris: utilis quidem interdum adminiftratio, fed faepe irrita. Satius eft acida mine-

mineralia cum cortice peruviano: tincturam praecipue cinnamomi exhibere in metrorrhagia, quae ex atonia vaſorum originem ducit. Martialia quoque nonnunquam proſunt: ferrum praeprimis ſulfuricum et liquor ſtypticus Looſlii. (*pharm.* §. 362.)

In ſcorbutica diatheſi et putrida acidum carbonicum expeditiſſimum eſt, vel in potione Riveriana aut mixtura Hulmiana, vel in aqua Selterana et Geilnavienſi exhibitum, vel externe in rebus fermentantibus applicandum. Acida itidem mineralia proficua ſunt, cum vino et ſpiritibus aromaticis: cortex peruvianus, kino denique et catechu.

Art. II.

De cohibendis aliis profluviis.

366.

Quodſi alii humores praeter naturam effluunt, primum diſpiciendum eſt, curationem admittant, ſive ſecus. Nonnulla enim profluvia, a natura excitata, morbos potius ſolvunt quam efficiunt: ideoque ſalubria ſibi committenda ſunt: diarrhoeae exemplo et ptyaliſmi, urinae quoque largo fluxu, quibus morbi acuti non raro indicantur. Et in ipſis diuturnis morbis, quamdiu affluit aliquid, vel praeter naturam generatum, meliuſcule ſemet habere ſolet aeger, quia ipſae ſtaſes non raro profluviis

Quodſi nutrientis facultatis infirmitas accuſanda, roborantia ipſa, melius nutrientia in adminiculum vocanda ſunt: quae in diuturnis profluviis ſumme neceſſaria ſunt. Diabeten meminimus corticis peruviani, lichenis islandici et animali victu tandem debellatum eſſe, cum aliis omnibus remediis reſiſteret.

371.

Cum omnia haec conamina irrita ſunt, cum mere localis adeſt laxitas, quae humores ad profuſionem cogit, adſtringentia eliguntor, quae vel proxime in locum adfectum agunt vel conſenſu eum ita mutant, ut vaſa contrahantur, robore reſtituto. (§. 83.) Catechu et kino, plumbum aceticum et tormentilla neceſſaria ſaepe ſunt, ut alvi profluvia, blennorrhoea et ſimiles profuſiones ſiſtantur: ſed cauto opus eſt, ne regulas (§. 85 — 87.), quae prohibent adſtringentium uſum, laedas.

Art. III.

De regendis et reſtituendis ſanguinis curſibus, qui natura fiunt.

A. De menſtruorum curſu evocando vel reſtituendo.

372.

Generalis eſt curatio, in plurimis muliebribus morbis adminiſtranda, quae menſtruum ſanguinis

curſum vel evocat, vel, ſi interceptus eſt, reſtituit. In therapia igitur generali locum obtinet.

Primum autem diſpiciendum eſt, admittat is ſtatus omnino curationem, ſive ſecus. Namque, ſi femina concepit et fetum geſtat; ſi vel iunior eſt vel ſenior, quam ut naturalis ille ſit ſanguinis curſus, abſonum eſt eum prolicere. Itaque protinus aetas indaganda eſt et graviditatis ſigna ſedulo examinanda.

Dein generatim monendum, haudquaquam omni tempore evocandum eſſe ſanguinis menſtrui curſum, multoque melius cedere, ſi temporibus iis fixis, ubi conſuevit fluere, id moliamur. Itaque vel naturae molimina exſpectanda vel ſciſcitanda ſunt ex aegrota tempora curſus illius conſueta.

Poſtremo in puellis, eum curſum nondum expertis, ſi molimina adſunt graviora, examinandae ſunt partes verendae, ne, ſi occluſum forte eſt oſtium (*path. gen.* §. 102.), ſi pravus uteri ſitus (*ib.* §. 224.), ſi ſcirrhus aut polypus (*ib.* §. 108. 311.), quod manu potius ferramentisque curandum eſt vitium, ſuſcipiamus.

373.

Quibus praemiſſis, ſi puellae ſunt nondum eum curſum expertae, ſi graviora patiuntur, colicos dolores, ſpaſmos, lipothymiam; inquirendum protinus

eſt in ſanguinis forte abundantiam, quae minuenda eſt tum venaeſectione, tum hirudinibus ad verendas partes aut ad femorum internam partem appoſitis, tum victus ratione tenui et remediis antiphlogiſticis. (§. 209. 210.)

Alia eſt cauſſa, et frequentior quidem noſtra aetate in opulentioribus: evolutio nimirum corporis inaequabilis, ad quam ſpaſmi accedunt. (*path. gen.* §. 37.) Huic cauſſae opponuntur ſtimuli fugaces, ſpiritus aetherei, radix valerianae, ipecacuanhae etiam exiguis doſibus cum opio. Sed evolutioni etiam moderandae operam dare neceſſe eſt, quod victu et exercitatione, itineribus etiam et vitatis omnibus ſtimulis abnormibus, perſicitur.

Dein viſcerum abdominalium ſtatus examinandus eſt. Nihil frequentius accidit, quam puellas, ab infantia inde cupediis, epulis et comeſſationibus adſuetas, aut ita educatas, ut librorum lectionem et artificia muliebria praeferre diſcerent corporis exercitationi, dum pubeſcunt, abdominis ambitu praeter naturam aucto, ſtaſes pati abdominales, vermibus conflictari aut frequentibus ſordibus. Vermes quidem enecatos propellere, ſaburram educere expedit; ſed multo curioſius eſt ſtatus abdominalis curandus; quod iterum victus ratione ad leges artis inſtructa optime fieri, ſupra monuimus. (§. 241. ſ.)

374.

Nonnunquam tamen corpus cetera bene conſtitutum atonia quadam partium verendarum laborat, qua ſit, ut ſanguinis copiam eam ſecernere nequeant. Contingit id in mulieribus, quae fluorem album paſſae, aut quae aerumnis et morbis praegreſſis infirmae ſunt. Quodſi generalis haec adeſt ſanguinis penuria, ad roborantem methodum, maxime victus rationem nutrientem (§, 131. ſ.) et ad moderationem animi perturbationum refugiendum eſt. Si vero localis adeſt laxitas et atonia, ſtimuli topici in auxilium vocandi ſunt, quibus tum calor externus, tum fumigationes e balſamicis et aromaticis, ſuccino praeprimis, tum graveolentia, ammoniacum, aſa foetida, millefolium, tum reſinoſa acria purgantia, hellebori exemplo, aloës et gratiolae, adnumerantur.

375.

Denique magnopere intereſt, ſpaſmorum vim in retinendo eo curſu cognoſcas. Namque protinus ut perfrixit femina, ſiſtitur: terrore etiam et aliis cauſſis intercipitur. His opponenda ſunt balnea tepida, pediluvia, radix ipecacuanhae tum et, quae fugacem ſtimulum praebent, radix valerianae, olea aetherea, liquor ammonii ſuccinici etc.

B. De haemorrhoïdum fluxu restituendo.

376.

Fluxus haemorrhoïdalis quamvis valetudinem adversam semper supponat, levare tamen symptomata praegressa solet: ideoque suppressio haud sine noxa contingit.

Duplex autem suppressio accidit. Vel enim, citra dispositionem, e caussa manifesta, refrigerio, terrore aut corporis intentione nimia, cursus ipse subito intercipitur; vel, quae diutius iam fluxerant, e dispositione spastica, e stasibus abdominalibus, ex arthritide accedente, cessant.

377.

Discrimen id probe servandum est. Namque passiones e subito interceptis haemorrhoïdibus fluentibus natae multo graviores sunt, multoque magis urgent medici auxilium, quam quae e dispositione potius lenta ortae sunt. Illae saepe aegrum praecipitant impetu sanguinis nobiliora organa petente, colicis doloribus inflammatoriis, cordis enormitate repente orta, apoplexia etiam et inflammationibus viscerum.

Itaque, ubi urgent symptomata ex intercepto repente fluxu nata; sanguis omnino mittendus est ex inferioribus (§. 254.), exhibenda, quae leniter alvum ducunt et caloris stimulum adimunt, tartarus

depuratus et ſulfur praecipitatum. Tum iuvant, quae ſpaſmos debellatura ſunt: radix ipecacuanhae parvis doſibus cum opio; interdum cum hydrargyro muriatico miti; radix valerianae, extractum hyoscyami, ſtibium etiam ſulfuratum. Nec negligendum eſt kali ſulfuratum, cuius ſedans indoles indies magis comprobatur. Denique caute revellentia adhibenda ſunt; alvus eluenda irritantibus reſinoſis, maxime aloë; aut, ſi nimiam extimeſcimus incitationem, aſa foetida cum oleis, ſapone et caſtoreo.

378.

Quodſi vero haemorrhoïdum fluxus lente ceſſat, e diſpoſitione aut ex accedente morbo adſini, cautiſſime procedendum eſt, nec prius tentanda revocatio, quam exploratum habemus, paſſiones graviores ex ipſo intercepto fluxu pendere, neque diutius iam eum curſum quieviſſe. Namque tum ſuperfluum, ni noxium, erit, eum arte prolicere.

Plerumque autem inquirendum eſt in ſtaſes abdominales, ſine quibus raro is ſtatus contingit. Solvendae ſunt victu iisque praeſidiis, quae ſupra (§. 241 — 251.) indicata ſunt. Dein debilitas nutritionis vincenda eſt roborantibus (§. 131. ſ.): torpor vero et laxitas partium adfectarum adſtringentibus et incitantibus, quibus ſpeciatim aloën, myrrham, ferrum ſulfuricum et helleborum accenſemus.

Cap. XII.

DE SECRETIONUM CORRECTIONE.

379.

Acrimoniam humorum tollere, putredini obviam ire et pus benignum producere proxime nequimus, nisi prius virium ratione mutata. Namque et generatim potentiam nervorum in secretionibus mutandis, maximeque nervorum gangliosorum sensum organicum eas moderantem et Galvanicarum actionum cum secretionibus similitudinem probavimus. (*phys.* §. 247. 249.) Tunc vero caussam pravitatis humorum in virium ratione turbata quaesivimus: (*path. gen.* §. 94. 95.) suppurationem denique benignum ab activitate quadam mediocri vasorum pendere praecepimus. (*path. spec.* §. 163.) Hinc nec de acrimonia corrigenda, nec de putredine arcenda, nec de suppuratione promovenda, velut de peculiaribus methodis, sermo esse potest.

380.

Quodsi enim acrimoniam humorum secretorum animadvertimus, sive ea in humoribus gastricis et intestinalibus, sive in cutaneis adsit, protinus inquirendum est, adsint stimuli, qui vel topice vel consensu organa secretoria adeo incitent, ut in secretis humoribus elementa polaria praevaleant. Proxime

in loca ſecretioni dicata agunt contagia, quae amovere aut inertia reddere oportet: veſicatoria ocyſſime ſaepe ſecretiones pervertunt: unguentum e tartaro ſtibiato puſtulas variolarum ſimiles producit. Similibus ſtimulis morboſis e medio tollendis opera danda eſt. Hinc et diaphoretica methodus utilis eſt ad acrimonias humorum cutaneorum tollendas. (§. 337. 338.)

In remotis, ſed conſenſu nexis partibus ſtimuli haerent, qui ſecretiones pervertunt. Nihil vulgatius eſt, quam ſaburram et vermes, praecipue vero ſtaſes abdominales corruptionem humorum in ambitu corporis producere, ut curare hanc acrimoniam nequeas niſi laxantibus aut purgantibus (§. 308. 310.), reſolvente etiam adhibita methodo. (§. 236.)

381.

Sed virium ratio et magis generatim habenda eſt. Siquidem e debilitate diuturna vis reproductivae pleraeque proficiſcuntur humorum acrimoniae, unde roborans methodus praeſtantiſſima eſt. (§. 122.) Hanc adiuvare, atque, ubi torpet vis ſenſifera, ſecretiones optime promovere poſſumus, methodo incitante. (§. 152. 153.)

Quodſi vero vires inaequabiliter distribuuntur, quae praecipua eſt cauſſa depravatorum humorum,

revulſio tentanda eſt (§. 223.), aut ſedans etiam methodus, quae fugacibus incitamentis agit. (§. 193.)

382.

Unica eſt methodus, acrimoniam humorum proxime domans, quae ſucci gaſtrici acorem aut putridam indolem, exhibitis abſorbentibus vel acidis compeſcit. (§. 274. 275.) Haec et proficua eſſe poteſt, ubi ſaburrae acidae ſtimulo humores cutanei depravantur, quod conſenſu fit. Dein in ulceribus ſanioſis et carcinomatoſis arcere acrimoniam chemicis reagentibus poſſumus: acido carbonico, aqua calcis et pulte e dauci carotae radicibus parata.

383.

Putredo arcenda eſt primum evacuatis iis rebus, quae facilius, ſi vires defecerint, putreſcunt. Hinc, ſi ſordes putridae adſunt, laxantia proſunt acidula. (§. 308.) Nec in ſcorbuto abſonum eſſe, leniter alvum ducere, Blanii teſtimonio et Kortumii.

Dein vel maxime intereſt, glandulas ita firmare, ut ſubigendo eo, quod in putredinem vergens a vaſis lymphaticis attrahitur, pares reddantur. (*path. gen.* §. 95.) Fit id potiſſimum ita, ut, vel orgaſmo nimio minuto, modica quaedam conſequatur actio; vel, ſi torpet vis reproductiva, incitante methodo haec ſuſcitetur; vel denique, ſi inaequabilis adeſt

virium distributio, hae ita componantur, ut mediocriter et ordine quodam normali agant.

384.

Itaque patet, *antisepticam* methodum saepe reduci ad antiphlogisticam, maxime cum febres putridae ingenti orgasmo incipiunt. (*path. spec.* §. 99. *therap. gen.* §. 206.) Sed cavendum est, ne ultra tempus summi orgasmi producatur. (§. 208.)

Utilissima est incitans methodus ad putredinem arcendam, si vis sensifera torpet. Acida mineralia, camfora et arnica summe phosphorus denique et vesicatoria proficua sunt, si cum pulsibus languidis extrema in frigus vergunt, si febris haud valida est, si sudoribus viscidis difluit cutis.

Quodsi vero spasmi adsunt et dolores, inflammationem minantes, fugaces potius stimuli eligendi sunt, qui remissionem producunt, normali secretioni idoneam. Radix valerianae, spiritus aetherei, moschus et oleum animale eximie saepe antiseptica sunt, si ille status adest.

Denique si labes organorum nutritioni dicatorum putredini occasionem praebet, roborantia expeditissima sunt. Quod tum in scorbuto, tum in febris putridae eo gradu valet, ubi nondum penitus prostrata vis sensifera nulla tamen adest nimia inci-

tatio. Cortex peruvianus potentiſſimum eſt antiſepticum, ſi cum victus ratione idonea iungitur.

385.

Puris blandi ſecretio proxime promoveri nequit, niſi vel ſtimulis praeternaturalibus remotis, vel teneritate partium ac nimia incitatione per mollientia et ſedantia minuta, vel incitata etiam validius partium adfectarum totiusque corporis vi reproductiva.

Itaque ulcera curaturum decet ante omnia ſtimulorum externorum et internorum, quibus ſecretiones perturbantur, acceſſum cavere eosque amovere. Aëris contactus, caloris nimii et frigoris noxae vitandae ſunt. Sanguinis nimius impetus vitandus: hinc pedes ulceribus diuturnis deturpati elatius ponendi ſunt: exercitatio membrorum frequens vitanda. Maxime vero victus ratio ita moderanda eſt, ne potus exaeſtuantes, cibi dyspepti et acres ingerantur; ne animus perturbetur. Somno providendum eſt, ne continuis vigiliis vires aegroti pervertantur. Deligatio ſit nec nimis frequens nec arctior iuſto. Unguenta et emplaſtra irritantia ſedulo prohibenda, niſi torpor partium ea exigat.

In ulceribus externis ſufficiunt pulvilli et linamenta carpta e blandis ſuccis expreſſa aut cerato ſimplici illita: quibus et aër arcetur et mediocris activitatis gradus ſervatur.

386.

Quodſi vero ulcus eſt inflammatorium, ſi margines dolent et rubent, puris generatio impeditur nimia incitatione, ut pauca ſanies aquoſa ſecernatur vel plane ſiccum ſit ulcus; antiphlogiſtica neceſſaria eſt curatio. Lavantia proſunt; utiliter imponuntur mollientia, ipſaque aqua tepida, quam Kernius nuper nimis generatim commendavit. Ad dolores ſedandos proficiunt oleum hyoscyami expreſſum et fomenta e ſeminibus lini et herbis malvae, althaeae etc.

387.

Si vulnus contra marginibus torpidis, flaccidis cingitur, ſi ſanies copioſa effluit, carnes luxuriant et ſpongioſum aliquid ſurgit; ſtimulantia et adſtringentia proſunt. Aqua calcis reliquis fere palmam praeripit: tum deligatio arcta: involutio membri: Baytonii methodus emplaſtris adhaeſivis ulcera diuturna conſtringendi: putamina nucum iuglandum, cortex ulmi et ſalicis: demum ſaturnina in uſum vocanda ſunt, ſi colluvies ſaniei cum ſenſus torpore et flacciditate ulceris iungitur.

Ubi carnes luxuriantes ex hac cauſſa adſunt, ni iisdem ceſſerint remediis, zincum ſulfuricum et oxydatum, aerugo, hydrargyrum oxydatum rubrum et muriaticum corroſivum, argentum nitricum et

kali causticum adhibenda sunt. Calli iisdem remediis vel compressione etiam, nisi nimis obduruerint, vel incisionibus, maxime vero tartari stibiati solutione tolluntur.

Circumspiciendum tamen, vires totius corporis nutritivae erigantur: quod tum nutriente diaeta, tum roborantibus et incitantibus fit, quibus et corticem peruvianum, et lichenem islandicum, myrrham etiam et aquam calcis adnumeramus.

388.

Quodsi denique stimulo specifico morboso ulcera lacessuntur, huic opponenda ea, quae usus docuit. Syphilitica ulcera hydrargyrosi; scabiosa sulfure et zinco sulfurico; scorbutica acidis curanda sunt.

SECT. IV.

DE EUTHANASIA PROMOVENDA.

389.

Medici officium est, non morbos solummodo perfecte curare, sed lenire dolores, levare gravissima symptomata, ipsius denique mortis inevitabilem accessum ita moderari, ut, quantum fieri potest, terminus vitae minus molestus sit. Medicus enim, huma-

humanitatis minifter, humano animo artem exerceat oportet.

390.

Mortis autem facies varia eft tum pro natura morbi, tum pro varia aetate, tum pro ratione cultus et educationis, religionis et inftitutionum publicarum. Qua cauffarum varietate liquet, mortis lenimina mox effe in poteftate medici, mox vero nulla ipfi patere.

Namque, ut primum morbi differentias confideremus, et generatim (*phyf.* § 102.) et fpeciatim in variarum aegritudinum expofitione indicatas, pluribus morbis fi ad extrema ventum eft, anxietas animique terrores familiares funt. Quodfi ii e doloribus proficifcuntur immanibus, hos lenire neceffarium eft: e. g. in carcinomate uteri. Quodfi anxietas e fuffocationis metu et colluvie intra fiftulam fpiritalem pendent, leniter folventia et anodyna propinare expedit.

Quodfi vero cruciatus ingentes lenire nequimus, quaeritur, an medicum deceat, narcoticis mortem accelerare? Cautiffimus Aretaeus (*curat. acut. lib.* 3. c. 5.) etiamfi generatim id, ut humanitatis legibus adverfum, prohibeat, addit tamen nonnunquam, fi praevideat medicus cruciatus haud evitabiles diu duraturos, fomnolentia promota mor-

tem leviorem reddere debere. *) Utique exploratum habemus, regulas generales praefcribendas haud effe, fed cuiusvis cordati medici confcientiae committendum, quanam ratione ineluctabilem mortem remediis narcoticis et promovere et lenire licitum ducat.

391.

Id autem generatim monendum effe ducimus, aegrotorum plurimorum anxietatem ex incertitudine potius pendere, quam e mortis ipfius certae terroribus. Itaque medicum oportet, fi morbi exitus letalis exploratus eft, eum ita annunciare, ut humanum virum decet: ne incertitudinis perturbationibus diutius aeger crucietur. Namque magni refert, aegrum poffe tempeftive res fuas curare, liberorum forti providere et teftamentum nuncupare.

392.

Mortis terrores non raro ex inftitutionibus publicis, civilibus et religiofis pendent, quarum effectum amovere medico faepius haudquaquam licitum eft. Quodfi enim religionis miniftri Deum iracundum et haud facile propitium fermonibus fuis exhibent; fi *μετάνοιαν* difficillimam reddunt, et aeternis

*) *Θέμις δέ κοτε προγιγνώσκοντα σαφὰ τὰ παρεόντα, ὡς οὐ φύξιμα, καρηβαρέη νωθρῇ εὐνᾶσθαι.*

terrent poenis infernalibus: quid mirum, aegrotos in his educatos religionis horroribus, mortis acceſſu immaniter terreri? Satius eſt profecto nullam profiteri religionem, atque, ut rudis quisque homo, coecum fatum ſubire, aut, ut Turcarum gens, nil niſi voluptates ſenſus mulcentes exſpectare, quam talem, quae ultima vitae momenta acerbiſſima reddit.

393.

Si homo, rationis ſuae recte compos, ea, quae mortem ſequuntur, ſecum reputans, ambigit, dormiturus ſit animus poſt obitum, ſive ſomniaturus, ex hac ipſa dubitatione naſcitur metus ſomniorum. *) Cum nemo unquam redierit ex incognita illa regione, ratio humana ſibi commiſſa, etiamſi plurima teſtentur, animum eſſe immortalem, nihil tamen certi de ſtatu animorum poſt mortem habet,

*) — — — — — *To die — to ſleep;*
To ſleep! Perchance to dream: ay, there's the rub:
For in that ſleep of death what dreams may come,
When we have ſhuffled off this mortal coil,
Muſt give us pauſe.

SHAKSPEARE: *HAML. act. 3. ſcen.* 1.

Socrates, ſi ſomnus ſit mors, nullum ſomnium extimeſcebat, (*Plat. apol. Socrat.* p. 16.) Καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων, μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος.

ut et Socrates ipſe finem apologiae hunc faciat: Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἔρχονται ἐπὶ ἄμεινον πρᾶγμα, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ θεῷ.

Niſi igitur Deus nobis per Ieſum Chriſtum ſpem aeternae vitae et fiduciam largitus fuerit, metus et terror miſeros nos ubique anxerint ac ſollicitaverint. Hanc religionem, ut humanitatis triumphum, ut ſummum Dei beneficium, venerari, diligere ac eius praecepta et promiſſa cuivis eorum capaci moribundo commendare, ut mors minus acerba reddatur, officii eſt tum ſacerdotum tum etiam medicorum. Namque in his ſaepe aegri multo maiorem collocant fiduciam, quam in ipſis ſacerdotibus.

P r o d i i t

Rudolphopoli,

ex typographeo Froebeliano.

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICINAE FORENSIS.

LIPSIAE ET ALTENBURGI,

SUMTIBUS F. A. BROCKHAUS.

1816.

CURTII SPRENGEL

INSTITUTIONES

MEDICAE.

TOMUS VI.

PARS SECUNDA.

MEDICINA FORENSIS.

LIPSIAE ET ALTENBURGI,

SUMTIBUS F. A. BROCKHAUS.

1816.

CONSPECTUS.

Introductio.

Sect. I.

De iure natorum.

Cap. I. De monſtris.

Cap. II. De hermaphroditis.

Cap. III. De abortione criminoſa.

Cap. IV. De partu legitimo.

Cap. V. De infantis nece.

I. De vita infantis dubia.

II. De mortis genere, quo infans decesserit.

Sect. II.

De iure vulneratorum et occisorum.

Cap. I. De laesionum letalitate.

Cap. III. De eruenda graviditate.

Cap. IV. De probando puerperio praegreſſo.

Sect. IV.

De iure aegrotorum.

Cap. I. De morbis ſimulatis.

Cap. II. De morbis disſimulatis.

Cap. III. De mentis aegritudinibus.

INSTI-

INSTITUTIONES

MEDICINAE FORENSIS.

INTRODUCTIO.

1.

Medicinam forenſem diximus (*introit.* §. 7.) comprehenſionem rerum, quibus medicus in foro et ad lites diiudicandas utitur. Sicut enim ad regendam civitatem remque publicam adminiſtrandam medicarum rerum ſcientia exigitur, quas *medicina publica* complectitur; ita, ut leges obſerventur, cauſſae dicantur ac ius exerceatur, ſaepe eſt opus medicarum cognitionum, quas neque a iudice, neque a cauſſidico expectaveris, a medico ſolo ſuppeditandas. Eos medicos civitas quaevis bene adminiſtrata conſtituit, ut cognitionum medicarum auxilia impertiant iis, qui ſaluti publicae provident, civitates regunt et leges cuſtodiunt.

2.

Cum variarum rerum medicarum comprehenſionem ſiſtat haec doctrina, diſci nequit, niſi ab homine diſciplina medica, omnibusque doctrinis ad medicinam pertinentibus rite imbuto. Itaque et finem facit totius diſciplinae medicae: et iuris ſtudioſus aut conſultus idoneo modo eam capere nequit, niſi totum medicarum doctrinarum ambitum rite cognoverit. Id autem, cum noſtrae aetatis doctrina medica ampliſſima ſit, cumque pluribus nitatur aliis cognitionibus, fieri fere nequit, ni ſi quis, Conringiano ingenio pollens, adoleſcentiam omnem et iuvenilem aetatem in ſtudiis adeo disparibus conſumſerit. Itaque et irrita putamus et ſuperflua eorum conamina, qui vel iuris ſtudioſos in his rebus erudire geſtiunt, vel Alberti aut Valentini aut Maſii etiam nupero exemplo libros edunt, quibus iureconſulti utantur ad dirimendas lites et ſolvenda dubia forenſia.

3.

Quodſi quaeſtionum medicarum ad res forenſes pertinentium ſolutio nec a iudice nec a cauſſidico expectanda eſt, ſed a medico, quem eum in finem civitas conſtituit; pariter opus eſt et hic abſtineat ab omni quaeſtionum legalium tractatione: neque, ſi de mentis indole ſciſcitatur, quaerat, qui-

nam ſint hominis heredes: neque, ſi de vulneris letalitate quaeſtio exiſtit, quinam fuerit animus eius, qui hominem ſauciaverit aut necaverit. Sed ſimpliciter et ingenue inquirat in ea, quae medicus ſcientia ſua exponere poteſt. Egregie id perſpexit magiſtratus patriae, cum anno 1790. d. VIII. Martii ſanciret, medicis publicis cavendum eſſe ab omni interrogatione rei ac ab omni quaeſtione legali; nihil eorum eſſe, niſi medicas res eruere, nullo perſonarum reſpectu habito. Similiter iudicat magiſtratus bavaricus (*Anmerk. zum Strafgeſetzbuch für das K. Bayern*, B. 2. p. 14. ſ.)

Nihilominus neceſſarium quandoque eſt, ut, priusquam medicus quaeſtiones ſuas inchoet, a iudice obtineat primam interrogationem, ut, quid ſpeciatim inquirendum ſit, pateat.

Varii auctores perhibuerunt, medicum ſine cognitione principiorum in iure valentium finem aut ſcopum examinis vel ſcrutinii a ſe inſtituendi intelligere non poſſe. Quod etiam ſi veriſſimum ſit, et, quatenus imputari poſſit cuipiam factum, medicus ſcire debeat, curioſe tamen inſiſtendum eſt σωφροσύνῃ, quae, eruendis medicis rebus acquieſcens, abſtinet ab alienis iuris quaeſtionibus.

4.

Quodſi eos limites officii, quo medicus publicus fungitur, rite conſtitutos agnoſcimus, alio ta-

men modo ſe habet cum collegiis medicis et facultatibus, quae, cum a iudicibus arbitri advocentur, ex univerſae cauſſae informatione tantum iudicare valent. Itaque praeter necis veſtigia et res medicas debent et inquirere in omnia, quae dilucidare cauſſam et iudicium iuvare poſſunt. Medicus publicus aut diſſector teſtis vices gerit: ad collegia vero medica commentarii actorum integri mittuntur, quaeſtioque ſaepe duplex proponitur, altera e corpore delicti, altera ex aliis argumentis, locorum temporumque rationibus diiudicanda. Quodſi enim infans ſtatim poſt partum culcitis impoſitis ſuffocatus fuerit, corpus infantis nulla profecto certa monſtrat praegreſſae necis ſigna: ubi vero rea libere confitetur, hanc infanti mortem a ſe illatam, ſufficiunt ſigna, alioquin dubia: ubi arbitri e commentariis actorum confeſſam ream noſcere debent.

5.

Nonnulli etiam contendunt, et iudici et cauſſidico neceſſariam eſſe medicinae forenſis cognitionem, ut iudicare de medici conſilio poſſint. Id autem de forma tantum conſilii valet: namque ipſam materiem diiudicare nemo poteſt, niſi qui omnibus doctrinis medicis imbutus eſt. Quodſi e. c. de veneficio quaeſtio naſcitur, ſcrutinium medici an rite ſecundum leges chemiae et doctrinae medicae inſtitutum

ſit, iudex nullo modo decernere poteſt. Soli formae conſilii adhaeret, in qua ſi nihil peccatum fuerit, vel ipſe, vel defenſor, ſi etiamnum dubitant, id conſilium ad magiſtratum medicum mittunt, ut de indole ſcrutinii iudicium ferat.

Si defenſor, ut reum excuſet, in latebras neglectae explorationis cadaverum abſolutae ſemet coniicit, audiendus non eſt, quoniam, dum confeſſus eſt et convictus maleficus de veneno exhibito, ſuperfluum eſt caput aperire, ut forte apoplexiae veſtigia deprehendantur. (*Platner quaeſt. med. for.* 23. 24.)

6.

Scrutinium medicum forenſe fiat neceſſe eſt in foro: id eſt, iuſſu iudicii; praeſente aliquo, quem iudex aut magiſtratus ad eum actum miſit; fiat denique a medico, cui fides publica a magiſtratu commiſſa eſt. Iuſſu iudicii quaeſtio inſtituatur, ne privatorum hominum odia vel ſtudia ius pervertant. Praeſentia viri, quem iudex aut magiſtratus delegavit, neceſſaria eſt, ut actus legitimam habeat formam et ſolemnem.

Patriae leges ſanciunt, et iudicem et ſcribam, qui tabellas quaeſtionis calamo excepturus ſit, praeſentes eſſe debere: nec actuarium ſolum ſufficere,

nisi iudice aegrotante, urgente necessitate ac advocato alio scriba. (*Allg. Criminalrecht für die preuss. Staaten*, 1. §. 46.) Quodsi vel actuarius solus, vel solus iudex adfuerint, ordinaria cognitio haud sequitur, sed *nullum* habetur iudicium. (*ib.* §. 43.)

Denique cuivis medico haudquaquam licet a iudice excitari, cum, in Germania saltem, medicis singularibus commissa est a summo magistratu cura salutis publicae et rerum forensium. Neque tamen eo minus licet etiam iudicem, si quis alius medicus legitimus in peculiari quadam quaestione famam sibi acquisivit, eum advocare, aut ita eum adhibere, ut medico publico opem ferat ac hunc doctrina sua experientiaque adiuvet. Laudandus igitur iudex aut caussidicus etiam, si, cum vel de graviditate dissimulata vel de caussis divortii quaestio existit, praeter medicum publicum advocat etiam obstetricium virum, dummodo hic usu pariter ac doctrina insignis sit. Sacramento singulari ad hunc actum adigitur extraneus is medicus, aut iureiurando eo obstringitur, quod in officio adeundo praestiterat. (*Cf. allg. Criminalrecht für die preuss. Staaten*, 1. §. 145 — 148.) Eodem iure patrio chirurgis legionariis aut etiam iis, qui cohortem quingenariam curant (*Bataillons - Chirurgus*), eadem dignitas tribuitur, quae medicis publicis. (*ib.* §. 148. 160.).

7.

Medicus publicus, cui ab iis, qui civitatem regunt, et ſalus publica et quaeſtionum forenſium deciſio committitur, emineat inter alios medicos tum doctrinae ambitu et eruditionis, tum ingenii acumine, tum amore honeſti verique, tum humanitate, ſedulitate, candore animi ceterisque virtutibus, quae bonum virum faciunt et decent. Doctrinae ubertas neceſſaria eſt, cum haud vulgaris anatomiae vel ſubtilioris cognitio, chemiae etiam, phyſiologiae reliquarumque diſciplinarum medicarum exigatur.

Sed theoria medica haud ſufficit, niſi adaptata ad leges. Itaque has cognoſcat medicus: tamen iuris peritum eſſe debere haud inde fluit.

Ingenii acumen ſingulare requiritur in variis quaeſtionibus forenſibus dilucidandis, praeſertim in morbis ſimulatis et disſimulatis eruendis. Virtutes animi ſi ubivis hominem faciunt et ornant, medicus publicus iis egere eo minus poteſt, quo magis de honore, opibus et proſperitate civium agit. Itaque, etiamſi doctrinae prodigium ſit, ſi lucri cupidini, ſimultatibus, impudicitiae indulget, ſi religionem deſpicit negligitque conſcientiam, ſatius eſt, talem virum abigi a foro quam attrahi.

8.

Ut magiſtratuum iudicisque mandatis obtemperet, opus eſt, medicus libellum componat, quo

memoriam omnium rerum, quas in homine vivo aut mortuo invenerit, comprehendat. Eo libello, quem *visum repertum* aut *consilium* etiam vocitant, clare, distincte et succincte, sine ambagibus et minutiarum studio tradat, quaecunque magistratum aut iudicem ductura sunt ad iudicium ferendum. Is libellus ne memoriter, scrutinio iamdiu peracto, conscribatur: sed, dum vel secatur cadaver, vel inquiritur in hominis vivi statum, memoria saltem brevis a scriba forensi calamo excipiatur, e qua deinde medicus publicus libellum componat iudicialem.

In eo libello necesse est memoriae tradantur ea omnia, quae enodare quaestionem valent, omissis iis, quae nihil ad rem faciunt. Quod, quam arduum saepe sit, quantumque saepe ingenii acumen et doctrinae maturitatem exigat, paucis dici nequit. Haud ad rem pertinent laesiones vasorum nervorumque omnium, variaeque res, quae ambiunt hominem vivum mortuumve, sed nullam habent efficaciam ad quaestionem legalem dilucidandam.

9.

Quod ad formam eius libelli attinet, haud properante nimis calamo, sed curiose omnique sedulitate ita conscribatur, ut, si fieri potest, quaestionis decisio clarescat. Quodsi ambiguum est iudicium,

contraria argumenta iuxta ponantur, ut cuivis artis perito pateat, nullum de eo caſu arbitrium valere.

Quamvis praecepta doctrinae artisque leges ſedulo obſervari opus eſt, abſtineat tamen medicus publicus ab omnibus opinationibus, quae, certo haudquaquam experimento ſuffultae, iudicium magis confundere valent quam elucidare. Ambages omnes omittat nihilque ſcribat, niſi quod res exigit.

Ordo rerum libello conſignandarum naturalis eſt. Exordium ducendum a mandato magiſtratus aut iudicis, a perſona aut cadavere ſcrutandis, quae deſcribuntur; laeſiones omnes aut res inquirendae enumerantur; experimenta referuntur inſtituta; tum demum iudicium fertur, argumentis additis, quae e doctrina petuntur. In his quidem argumentis quanquam ſcriptorum celeberrimorum auctoritas haud plane negligenda eſt, neutiquam tamen argumentorum defectui praetendenda eſt ulla auctoritas.

Scriptionis genus ſit planum, ab oſtentatione eruditionis et apparatu ſcholaſtico alienum. Vernacula lingua concipiatur, quae, licet facile peregrinis voculis egeat, ſi vulgari captui proniores ſunt, has tamen etiam recipit.

10.

Medici forenſis eſt, ex artis ſuae principiis omnia eruere, quae quaeſtiones legales obſcuras ſolvere valent aut errores etiam fugare. Hinc, ſi e veterum medicorum ratiociniis natas opiniones et leges falſas deprehenderit, auctoritatem legum haud pluris aeſtimabit, quam ſaniora doctrinae medicae aut phyſicae praecepta. Quodſi partus octimeſtris, Hippocraticorum auctorum arbitrio minus vitalis habetur, quam ſeptimeſtris, erroneum hoc praeceptum nullo modo a medico forenſi ſtatuendum eſt.

11.

Ordo autem rerum tractandarum, cum vinculo quodam idoneo deſtituantur, naturalis eſt, ut a progenie inchoaturi, quaeſtiones legales ſolvere ſtudeamus, quae tum aetati cuivis tum ſexui vel communes vel peculiares ſunt.

SECT. I.

DE IURE NATORUM.

CAP. I.

DE MONSTRIS.

12.

Cum omne ius, quo utimur, vel ad perſonas pertineat, vel ad res vel ad actiones (*Digeſt. lib.* 1. *tit.* 5. *l.* 1.), prima quaeſtio exiſtit de infantum natorum humana vel perſonali conditione.

Homo dicitur in iure, cuicunque mens rationis capax in corpore humano contingit: perſona autem homo, ſtatu civili praeditus.

Itaque quaeritur, infans quando humanae ſpeciei abiudicandus ſit? ut nec ſacro Chriſtianorum

lavacro imbui fas sit, nec hereditatis iura tribui, nec alimenta praeberi.

13.

Ad hanc quaestionem veteres Iurisconsulti ita respondent, ut liberos non dicant, qui contra formam humani generis, converso more, procreentur; veluti, si mulier monstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. Partum autem, qui membrorum humanorum officia ampliaverit, inter liberos connumerari debere. (*Digest. lib.* 1. *tit.* 5. *l.* 14.) Tales partus ostenta vocant: id nempe ita dicitur, quod contra naturam nascitur, tribus manibus forte aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quae naturae contraria est. (*Digest. lib.* 50. *tit.* 26. *l.* 38.)

14.

Itaque et ipsa humanae naturae definitio et veterum Iureconsultorum decreta monstra habent, quae mente rationis capaci egent: haec enim princeps humanae naturae praerogativa. Mentem autem eam deesse in recens natis duntaxat e defectu cerebri efficitur: namque aliae omnes notae ambiguae sunt, cum nec similitudo formae cum brutali momenti peculiaris instar habeat, nec de mente infantis recens nati, sana futura sit sive secus, aliud valeat indicium, quam e cerebri praesentia. Vana igitur et inania eorum

conamina, qui hic quidem loci uberius de ſede animae disputantes eam in univerſo corpore collocant, aut, cum ſpiritus ſit, a corporea indole alienus, nulli parti propriam declarant. Quae licet in ſe prorſus vera ſint, ad forenſes tamen quaeſtiones haud pertinent: firma ſuperſtite veritate et inconcuſſa, quod claritas perceptionum, iudicii formatio et libertas voluntatis, ut humanae naturae πλεονεκτήματα, ne cogitari quidem poſſint ſine encephali normali fabrica. (*inſt. phyſ.* §. 366.) Itaque nec Ploucquetus audiendus, qui monſtra declarat eos fetus, quorum cranium et facies cum brutorum conſentiat. (*Über die phyſiſchen Erford. der Erbſähigk. des Kindes*, p. 129.) Fabuloſa enim pleraque, quae huc referuntur, e Liceto, miraculorum anilium collectore, petita. Nec oſſium cranii defectus, dummodo cerebrum integrum ſit et normale, qualem Zwingerus obſervavit (*Eph. nat. cur. cent.* 7. *obſ.* 73.), ad forenſem monſtrorum ſignificatum trahendus.

15.

Monſtra vera, humano iure privanda, hactenus acephala, ut cerebro cerebelloque careant, continuam ſeriem ſiſtunt, quae incipit ab iis, quorum oſſa cranii baſilaria ſolo perioſteo et integumentis communibus teguntur, deficiente omnino quovis encephali veſtigio, quale exemplum Penada refert

(*saggio* 1. *d' osservaz.* p. 57.). Progreditur series ad eos fetus, qui cerebri loco massam cellularem fungosam gerunt, tum ad eos, quorum encephalus nonnisi vesicas sistit, prima eius organi rudimenta, denique ad illos, qui substantia medullari, sed confusa, nec in discretis organis figurata gaudent. His omnibus abiudicanda est humanitas, quanquam bene nutriti videantur.

Id enim peculiare habent acephali, quod cum totum corpus gangliis regatur, sicut animalium inferiorum corpore (*inst. phys.* §. 362.), partium aliarum nutritio saepe modum excedat, pili abundanter in aliis locis crescant, ut et totum pilosum observaverit Bangius (*coll. havn. vol.* 1. *p.* 92.). Sed eam ipsam ob caussam antitheses necessariae ad vitam animalem superiorem haud evolvuntur, unde et ossa plerumque mollia et musculi sint gelatinosi motuumque fere incapaces.

16.

Plerumque praecoces sunt partus, atque, licet vivant, vitam tamen protrahere ultra aliquot dies, ultra septimanam saltem nequeunt. Lac quidem sugunt, sed continuo sopore et nervorum distentionibus opprimuntur: interdum iris est immobilis, pulsus fere nequeunt percipi, totum corpus continuo friget et caeruleo colore tingitur. (*Klein monstr. acephali hist.* p. 12.)

17.

17.

Cuinam cauſſae ortus eorum monſtrorum acephalorum tribuendus ſit, ambigitur. A violentiis externis oriri vix credibile: hydrocephalo exedi cerebri ſubſtantiam valde dubium (*inſt. phyſ.* §. 362.): itaque ex impeditis potius evolutionis progreſſibus deducenda ſunt. Cum e gangliis dorſo adiacentibus et e medulla ſpinali encephalus ſenſim evolvatur, ut hunc et appendicem medullae ſpinalis habuerint veteres (*inſt. phyſ.* §. 363.); cum nunquam encephalus adſit, deficiente medulla ſpinali (*Meckels Handb. der menſchl. Anat.* 1. p. 351.); ſunt potius rudimenta priſtinae formae, quae in veſicis et maſſa fungoſa, cerebri vices gerente, obſervamus. Tota igitur vi a mere organica, tantopere remota eſt ab omni humana indole, ut nec animalis omnino dici poſſit.

18.

Itaque veri acephali, ſeu fetus, qui omni encephali veſtigio carent, nec humani iuris participes ſunt, nec perſonae habendi. Hinc minime in societatem Chriſtianorum ſacri lavacri ope ſuſcipiendi: hinc nec heredes eſſe poſſunt, nec teſtamenta eorum partu rumpuntur. Alimenta autem iis detrahi, vel omnino enecari ſuperflua eſt crudelitas, cum nunquam ultra aliquot dies vitam protrahere poſſint.

Quodſi vero encephalus adeſt, licet cum deformitate oſſium aut partium aliarum, oſtenta iureconſultorum ſenſu nuncupanda, filiorum ius derogandum non eſt. Namque neſcimus, poſſitne evolvi mens humana. Itaque et ii et hydrocephalo nati omnino ſacro Chriſtianorum lavacro imbuendi ſunt, heredes eſſe et teſtamenta rumpere poſſunt.

19.

Multo difficilior eſt quaeſtio de *bicipitum* aut *bicorporum* fetuum iure. In ſtatu enim civili quaeritur, duae ſint perſonae, qui capite duplici praediti ſunt; baptizandi ſint ſeorſim et ſuo uterque iure gaudeat. Ad eam quaeſtionem ſolvendam inſerviunt accuratiores fetuum eorum inveſtigationes.

Plerique fetus bicipites, quorum ampliſſimam hiſtoriam doctiſſime nuper conſcripſit Meckelius, collega clariſſimus, (*de duplicitate monſtroſa*. Hal. 1815.) ita formati ſunt, ut coaluiſſe geminos appareat: unde defectu potius evolutionis peccaſſe quam exceſſu videantur. Namque, etiamſi capita et humeri ſeorſim normalem monſtrant formam, thorax tamen et abdomen hactenus unam conſtituunt maſſam, ut et cor unicum imperfectum ſit, cavitate unica praeditum, et, ſi duo adfuerint, alterum tamen altero perfectius ſit. Rariſſima ſunt exempla a Schweikhardo (*Beſchr. einer Miſsgeburt*. Tübing.

1801.) et Sigwarto (*Hiſtor. gemell. coalit.* Tübing. 1769.), deſcripta, ubi utrique fetui ſuum eſſet cor et perfectum. Alia vitia, a formatione impedita, vulgaria ſunt: labium leporinum, ſpina bifida, diverticula inteſtinorum, coalitus canalis inteſtinalis cum veſica urinaria. Anteriora abdominis integumenta deficere ipſaque generationis organa, Penchienati obſervavit. (*Mém. de Turin*, 1788. p. 57.) Cetero frequentiora eſſe ſexus ſequioris, quam maſculi, rariſſime utrumque ſexum ſeparatum, obſervationibus edoctus, idem Meckelius ſtatuit. (l. c. p. 14. 21. 22.)

20.

Nec is gemellorum coalitus cauſſae mechanicae tribuendus eſt, cui Treviranus tribuere ſtuduit. (*Biol. tom.* 4. *p.* 443.) Sed cum hereditarium ſit id vitium, cum in eadem familia ſaepius recurrere, ex eadem muliere modo haec monſtra iam alio modo deformes fetus gigni obſervatum fuerit; liquet, e vis formativae potius defectu aut impedimentis vitiisve neceſſario fluere.

21.

Itaque duae ſunt perſonae, ſi cerebrum in utroque capite cum omnibus ſenſuum organis perfectum eſt, confluentibus duntaxat partibus inferiori-

bus, unde et libertatem arbitrii in utroque non raro animadvertas. Praeclarum eiusmodi exemplum sistunt puellae gemellae hungaricae, Helena et Iudith dictae, quae initio saeculi XVIII. per Germaniam ducebantur. Osse sacro coalitae utraque suam habebat mentem: Helena pollebat ingenio, plures linguas callebat: Iudith intellectu debilior; amore mutuo insignes, rixabantur tamen, quotiens altera alvum missura erat, altera nolente. Menstrua haud eodem tempore utrique respondebant. Quodsi vero altera aegrotaret, altera semper male se habebat. (*Waldschmidt de sororibus gemellis ab osse sacro monstrose cohaerescentibus. Kilon.* 1709. *Ettmüller de monstro hungarico. Lips.* 1707. *Torkos in philos. transact.* vol. 50. P. 1. p. 34.) Utraque mortua est anno aetatis XXII.

Plurima alia exempla sunt fetuum perfectiorum, quibus adhaereret inperfectior alter: sensu nonnunquam humano destitutus, ut solas functiones organicas exerceret. (*Bartholin. hist. anat. cent.* 1. *obs.* 66. *Parsons in philos. transact. n.* 489. *Percival ib. vol.* 47. *p.* 360.) Perfectior solus humanus videbatur.

Rarissimum exemplum, quod maiorem reliquis ambiguitatem habet, narratur ab Ever. Homio (*Phil. transact. vol.* 80. *P. II. p.* 296.), ubi caput alterum inversum alteri superimpositum erat, oculo-

rum motus non respondebant, capite altero dormiente, quando alterum vigil esset. Sympathia tamen insignis aderat; infante enim sugente, capitis inversi os saliva scatebat; dum ille eiularet, huius lacrimae fluebant. Ergo duae personae, sed alterius forma imperfecta, cum praeter caput nil adesset. Triennem hunc infantem observavit Homius.

Quodsi fetui alterius vestigia inclusa sunt (*Huxham in phil. transact. n.* 487.), quaestio forensis existere nequit.

Cap. II.

DE HERMAPHRODITIS.

22.

Hermaphroditos vocabant veteres, qui utriusque sexus perfectas partes gererent, quales sculptores, vis virilis femininique decoris formas iuncturi, finxerunt. Nec tamen sufficit externarum partium similium coniunctio, sed necessarium est in eadem persona connubium organorum internorum, testium igitur et ovariorum, uteri et vesicarum seminalium. Tales, si unquam vixerint, veros hermaphroditos cum Osiandro vocamus. (*Neue Denkwürdigk. vol.* 1. *P.* 2. *p.* 265.) Hos autem, ab antiquitate passim

creditos, e Paulli Aeginetae et Ulpiani inde temporibus, fabulis potius adnumeramus, etiamsi Ackermannus ante undecim annos exemplum veri hermaphroditismi invenisse se contenderit. (*Infantis androgyni historia.* Ien. 1805.)

23.

Omnia, quotquot interius cognoscimus, hermaphroditorum exempla dispescimus in *androgynorum* et *gynandrorum*: illorum, qui cum mares sint, minus tamen evolutas gerunt partes: penem haud apice foratum, sed subtus, aut plane impervium, scrotum divisum, media parte fissa, meatu vaginam mentiente et vel in saccum coecum, speciem uteri prae se ferentem, vel dum urethra vera esset, in vesicam ipsam urinariam ducente; testes nonnunquam reconditos, aut ad annulum abdominalem appressos. Gynandrae vero feminae mares simulant, clitoride in penis molem excrescente, nymphis propendulis et vaginae ore clauso.

Hanc autem differentiam primus, ni fallor, statuit Leonidas Alexandrinus (saec. forte IV.), ex quo Paullus Aegineta mutuatus est; (*lib.* 6. *c.* 69.) et Aly Abbatis filius (*theor. lib.* 9. *c.* 54.). Unde et Avicenna iam (*can. lib.* 3. *fen.* 20. *tr.* 1. *c.* 43.) bene monuit, vera haud videri, quae de utriusque sexus partibus genitalibus aequalibus in eodem homine

narrentur: alterum membrum ſemper altero eſſe debilius. Hinc Iureconſulti veteres, Ulpianus et Paullus, (*Digeſt. lib.* 1. *tit.* 5. *l.* 10. *lib.* 22. *tit.* 5. *l.* 15.) hermaphroditum cenſuerunt eius ſexus aeſtimandum eſſe, qui in eo praevaleat.

24.

Eſt autem cauſſa huius turpitudinis in impedita embryonis evolutione quaerenda. Namque in embryone, quo propior eſt origini, eo minus ſexuum diſcrimen animadvertitur: prima utique forma muliebri proxima eſt. (*Meckels Handb. der menſchl. Anat.* 1. p. 56. *Roſenmüller* in *Abhandl. der phyſ. med. Soc. zu Erlang.* 1. p. 100. *Autenrieth* in *Reils Archiv,* 7. p. 110.) Itaque, etiamſi maſculus fuerit fetus, diviſio partium et diductio externa, muliebrem ſpeciem adfectans, penis imperforati ſimilitudo cum clitoride, teſtium occultatio ſupereſſe poſſunt. Veteres etiam, qui omnes partes maſculas externas cum internis muliebribus easdem haberent, facillime tranſitum ſexuum ſtatuebant. (*Huarte examen de los ingenios*, c. 15. p. 373.)

25.

Androgyni gynandris frequentiores, dum naſcuntur, propter ſcrotum, teſtium expers, in ſpeciem nympharum diviſum et parvitatem mentulae, ſaepe

imperforatae, pro puellis habentur. Hi, inter puellas educati, possunt, vel dum pubescunt, vel serius etiam, ipso sanguinis fluxu corripi e parte, quae vulvam mentitur, ut menstruorum cursui obnoxii dicantur; possunt virum admittere, cum scroti rima nonnunquam in saccum coecum ducat. Simul tamen visi sunt non solum erectionem pati, et clitoridi familiarem, sed pollutiones etiam nocturnas, quin alias feminas fecundarunt; corruperunt saltem, si forte ob testiculorum minorem evolutionem geniturae penuria adesset.

26.

Huc omnino trahendae narrationes de *genometabole*, ut Malacarnius nuncupavit, seu sexus muliebris mutatione in virilem: cuius rei antiquissimum habetur exemplum, quod Hippocraticus auctor (*Hipp. epidem. lib.* 6. *ſ.* 8. *p.* 1201.) de Phaëthusa Abderitana muliere narrat. Dicitur quidem ea, cum maritus exulasset, a menstruis defecta, virile corpus obtinuisse et barbam: id vero sine genitalium partium mutatione contigisse exploratum habemus. Evidentius vero huc pertinent exempla a Plinio (*lib.* 7. *c.* 4.) relata: Casini puerum e virgine factum, iussuque aruspicum in insulam desertam deportatum: Arescontem Argivum, cui nomen Arescusae fuisset, qui nupserit viro, cum seipsum virginem crederet, mox barbam et virilitatem provenisse uxoremque du-

xiſſe. Ipſe Plinius ſe vidiſſe refert in Africa L. Coſſicium, civem Thydritanum, nuptiarum tempore in marem mutatum. Similia exempla, quorum unum Laodiceae a ſe ipſo viſum, enumerat Phlegon Trallianus (*de reb. mirab. c.* 6—9. *p.* 64—70. *ed. Franz.*). In iis memorandus eſt Antiochenus, qui, Claudio Imp., cum pubeſceret, poſt magnos cruciatus, ex virgine iuvenis factus eſt.

Nuperis temporibus eiusmodi androgyni obſervati fuerunt a I. Bauhino (*apud Schenck obſ.* p. 520.), Paraeo (*opp. lib.* 24. *c.* 5.), Amato Luſitano (*cent.* 2. *hiſt.* 39.), Boëthio (*miſc. nat. cur. dec.* 1. *ann.* 2. *obſ.* 252.) et Claudero (*ib. dec.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 75.). Scientius tamen maioribus ſuis Morgagnius inſpexit hermaphroditi crediti cadaver, cuius urethra fiſſa et ita aperta eſſet, ut credulis imponeret, tanquam vulvae ſpecies. (*de ſed. et cauſſ. morb. ep.* 67. *n.* 6.) Multo ſpecioſiorem caſum penis imperforati pro clitoride habiti, fiſſi ſcroti in formam vulvae, unde et ſanguis proflueret, Arnaudius obſervavit. (*über Hermaphrod.* p. 18. 32.) Memoratu digniſſimum quod idem narrat exemplum filiorum eiusdem matris, qui omnes pene imperforato gauderent, unde manifeſtum eſt, e nulla mechanica cauſſa, ſed e vis plaſticae vitio proficiſci eas deformitates.

Celebratiſſima ſunt quaedam noſtrae memoriae exempla. In Norvegia ancilla, quae aliam im-

praegnaverat, licet testes haud externi essent, virum tamen se esse pollutionibus ante e tribus foraminibus penis inferioribus prodidit. (*Tode's Iourn. vol.* 3. *P.* 4. *p.* 423.) Morgagniano simile exemplum stitit Michael Anna Drouart, qui pro hermaphrodito ante hos quinquaginta annos habitus fuit. (*Delius in fränk. Samml. B.* 1. *p.* 150. *B.* 7. *p.* 398.) Simillima etiam, urethrae nempe fissae, testiculorum tamen externe conspiciendorum exempla retulerunt Hesselbachius (*Salzb. med. Zeit.* 1808. *II.* 335.) et Wittmannus. (*ib.* 1809. I. 202.) Minus scienter descripsit Baillieus, e Stoveri ore, hermaphroditum, virum certe, cum testiculi adessent, sed fisso scroto et pene imperforato: mammae praesentes credebantur feminam prodere, quamvis et hae turgescere in viris non raro soleant. (*Samml. für pract. Ärzte*, B. 20. p. 459.) Brandii exemplum etiam clarum est, qui, frenulo penis, quod occulerat eum, discisso, virilem formam restituit. (*Neue Samml. für Wundärzte* St. 22. p. 2.) Duorum denique androgynorum meminimus, qui nostra memoria hactenus exagitarunt medicos, ut feminae perperam haberentur, qui profecto mares essent: Adelaïs nimirum Previllia et Derreria Berolinensis. Illius descriptionem a Giraudio factam si legeris, haesitaveris de sexu pronunciando, cum de utero et menstruis, testibus tamen et mammarum defectu sermo sit. Sed pars, quae uterus dicebatur, nil fuit, nisi saccus coecus, in

quem rima scroti promearet: menstruorum autem cursus potius haemorrhoïdibus tribuendus erat. (*Osianders neue Denkw.* B. 1. St. 2. p. 246.) Similis fuit Derreria Berolinensis, ab Hufelandio, Mursinna et Martensio pro femina habita, quam virum esse Starkius optime probavit. (*Neues Archiv.* B. 2. p. 552.)

27.

Gynandrae rariores. Realdus Columbus dissecuit olim mulierem, cuius clitoris in penis molem succreverat, angustata vulva. (*de re anat. lib. II. c.* 15.) Clitoridem ingentem cum vagina clausa Parsonius observavit. (*Philos. transact.* vol. 47. p. 142.) Similem casum legimus apud Baillieum. (*Anat. des krankh. Baues*, p. 241.) Nuperrimum exemplum memorat Burdachius. (*Anatom. Untersuch.* Heft 1, p. 40.)

Posse etiam quandoque, haud providis saltem, imponere prolapsum uteri, qui mentiatur membrum virile Homius testatur. (*Roose's Beytr. zur gerichtl. AW.* B. 2. p. 214.)

Itaque in infante recens nato si sexus dubius est, obstetricibus mulieribus haud committendum est arbitrium, sed medicus, fabricae gnarus, accitus probe investiget partes. Quodsi testes deficiunt, utique ambiguum manet iudicium, donec pubescere

incipiat. Tum in androgynis genarum mentique pubes, vox hircitalliens, teſtium vel proventus, vel, dum remanent, cupido rei venereae aut ipſae pollutiones nocturnae virilitatem teſtantur. Contra gynandras produnt eadem aetate mammae turgentes, menſtruorum curſus, pelvis amplitudo et femorum poſitus. Matrimonio has haud capaces eſſe res ipſa docet: androgynos vero uxorem ducere minime rarum eſt.

28.

Neutri ſexui adnumerantur, qui ſine omni partium genitalium veſtigio naſcuntur. Ii ſunt vel acephali, vel plane imperfecti, veſica urinaria fiſſa aut inteſtinis cum veſica in cloacam avium aut amphibiorum coalitis. Rariſſime ultra aliquot dies vitam protrahunt, ideoque a baptiſmo abſtinendum, nec, dum acephali ſunt, perſonarum iure frui poſſunt.

Sed neutri etiam ſexui accenſendi eſſe videntur, quorum teſtes haud evoluti omnem virilitatem adimunt, ut nec barba prodeat, nec rei uxoriae cupido naſcatur, cuius anomaliae exemplum narrat Homius. (*Rooſe's Beytr.* l. c. p. 217.)

Cap. III.

DE ABORTIONE CRIMINOSA.

29.

Vita, qua fetus gaudet, variis diſtinguitur gradibus. Siquidem, quo origini eſt propior, eo magis tota eius vita exſeritur ac manifeſtatur in nutritionis functione, celerrimoque incremento, ſilentibus interea vitae ſenſiferae motuumque arbitrariorum effectibus. (*phyſ.* §. 540.) Nec in muſculari fibra duplicitas illa telae cellularis et partis fibroſae neceſſaria ad efficientiam (*phyſ.* §. 309.); nec in cerebro discrimen corticis diſpicitur atque medullae: unde merito haec fetus vita cum inferiorum animalium vita componitur. Simulac vero, medio fere graviditatis tempore, i. e. poſt viginti fere hebdomadas (*phyſ.* §. 545.) antitheſis naſcitur, quae nervos intercedit et muſculos, horumque velamentum cellulare et meditullium fibroſum; motus incipiunt fetus, a quibus altioris vitae veſtigium derivandum eſt. Protinus ut infans in lucem editur, et aura ſpirabilis oxygene ſuo novum ſtimulum praebet, quo antitheſes neceſſariae evocentur, et ſenſuum actiones et motus liberiores et ventriculi actio ceterarumque functionum totidem ſunt novi plane ſtimuli, quibus aequabiliter agentibus vitae verae humanae ſumma minutatim elicitur.

Itaque his phyſiologiae argumentis docemur, fetum quidem a primo inde formationis initio vi-

vere: humanam tamen vitam prius inchoare non posse, quam in lucem editus fuerit; quanquam maior sit probabilitas vitae huius futurae, dum motus singulares illos edere coepit.

30.

Abortum dicimus partum ante septimum mensem elisum: quodsi intra septimum et nonum mensem editur, partus praecox appellatur: quanquam veteres quidam acutius magis quam verius distinxerint.

Iam vero, cum fetus sit futurus homo, vitaque sua, licet inferiore, fruatur, necis crimen omnino et mulieri, quae vi vel medicamentis partum abegit, vel alii mulierem ita tractanti, ut aboriatur, irrogatur. Lege id iam Mosaica sanctum (*Exod.* 21. 22.), ubi, cum sine noxa abortaverit mulier, viros, qui rixati percusserint mulierem, pecunia mulctandos esse, statuitur. Ulpianus (*Digest. lib.* 48. *tit.* 8. *l.* 8. *tit.* 19. *l.* 39.) legem tulit; si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit, eam in exilium mittendam esse. Quanquam ad legem Falcidiam (*Digest. lib.* 35. *tit.* 2. *l.* 9.) moneatur, partum nondum editum hominem dici non posse; alio tamen loco (*Digest. lib.* 1. *tit.* 5. *l.* 7.) statuitur: qui in utero sit, perinde

ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtodiri debere, quotiens de commodis ipſius partus quaeratur.

Codex Carolinus (*art.* 133.) diſtinguit vivum fetum et nondum vivum: ſi ille abactus ſit, capitis damnandam eſſe ream; ſi vero nondum vivus fuerit, conſulendos eſſe legum peritos. Magni igitur erat momenti, ut forenſis illa quaeſtio de vita fetus dirimeretur, ad quam ſolvendam cum medici diſſenſionibus potius et controverſiis reſponderent, quam clara expoſitione, animationem fetus fere a tempore motuum ſeu a graviditatis medio inde ducere conſuerunt et legum latores et iudicia. Namque, quem Hippocratici auctores (*de nat. pueri*, p. 238) ſtatuerunt terminum, triginta poſt conceptionem femellae et quadraginta duorum dierum poſt maſculi conceptionem, ubi διαρθροῦται et πῆξιν accipiat fetus, nimis brevis iudicibus viſus eſt.

Itaque et patriae leges ſanciunt: (*Allg. pr. Geſetzb. Th.* 2. *Tit.* 20. §. 985. 986.) ſi abortionis poculis abegerit mulier partum intra graviditatis priores triginta ſeptimanas, annis duobus aut ſex in ergaſtulum mittendam eſſe: quodſi id factum fuerit ultimis menſibus, annis octo aut decem ergaſtuli damnandam eſſe. Similes poenas decernunt bavaricae leges. (*Strafgeſetzb. für das K. Bayern*, *Art.* 172.)

31.

Iam igitur medici publici eſt officium, ſi partus vere abactus fuerit, inquirere in cauſſas, quae culpa mulieris ipſius aliorumve abortionem fecerint, ſive id conſilio doloque evenerit ſive culpa. Quandoquidem ſcimus, opportunitatem adeſſe memorabilem ſaepe ad ſanguinis ex utero profuſiones (*path. ſpec.* §. 397.); tertio inprimis geſtationis menſe conſpicuam, (*ib.* §. 399.), quae vel per ſe abortionem producere poteſt; mulierem, quae poſt curſum, ſaltum aut leves plagas abortavit, minus eapropter quam ob praecipuam opportunitatem in id malum incidiſſe ſtatuimus.

Quae opportunitas ſi haud adfuerit, in cauſſas praegreſſas inquirendum eſt, ſive vi egerint, unionem fetus matrisque ſeiuncturae, ſive id impetu ſanguinis verſus uterum concitato effecerint. Thoracum nectilium arcta conſtrictio, labores graviores, coitus iuſto frequentior et violentior, plagae aut caſus vehementiores illuc: huc emeticorum, errhinorum purgantium draſticorum actio pertinet. Poteſt etiam ſanguinis miſſio iuſto crebrior a pedum venis aliquid conferre.

Medici publici eſt, nexum cauſſarum cum abortione inveſtigare, quae ſi brevi tempore poſt admiſſas cauſſas conſecuta eſt, ſuſpicionem movet, conſilio culpave egiſſe.

32.

32.

Si quaeſtio iudicialis exiſtit, aborta fuerit vere mulier, curioſe inquirendum eſt in ſigna praegreſſi partus, quorum ſingula ambigua ſunt, omnia vero iuncta evidentiam faciunt. (§. 126 ſ.) Et primum quidem verſatur in ſanguinis profuſione, quae abortionem ſequi aut praecedere ſolet, a menſtruorum fluxu et aliis metrorrhagiae ſpeciebus rite, nonnunquam tamen aegerrime, dſtinguenda. (*path. ſpec.* §. 398.) Quodſi vero per tres aut plures menſes menſtruorum curſus ceſſaverit, ſubito iterum poſt vim externam et cauſſas exaeſtuantes cum moliminibus et doloribus parturientium erumpens, ſuſpicio movetur in feminis aetate florentibus, abortionem ſimul accidiſſe. Vero erit ſimilior haec ſuſpicio, ſi, poſtquam a menſtruorum curſu deficeretur mulier, phaenomena ea naſcerentur, quae in utero geſtare ſignant. (§. 122 — 125.) Tum vel maxime mammae pertractandae ſunt, quae ſi turgeſcunt lacte vero, nec ſero aut lympha aquoſa, de abortione praegreſſa neutiquam fere dubitatur. Neque omittendum partium verendarum examen; tumor enim externarum partium, vaginae laxitas, oſculi uterini mollities nec perfecta occluſio, praeceſſiſſe abortum notant. Cetera ſigna, plicae praeſertim et rugae abdominis, ambigua ſunt, cum in mulieribus, quae pluries iam pepererunt, naturaliter exiſtant.

33.

Quodſi exploratum eſt, mulierem abortaſſe, medici publici eſt, diiudicare, conſulto id factum ſit et crimine, an fortuito? Prior autem quaeſtionis pars iterum in duas dilabitur, ipſius mulieris culpa id contigerit an alius? Si inveniuntur indicia remediorum draſticorum, eorum maxime, quae famam quamdam eius flagitii habent, ſabinae praeſertim, croci, lauri aliorumque valide irritantium, interrogandum eſt, an ilico poſt ſumtas eiusmodi res coligi ſint exorti dolores, molimina exſtiterint, quae abortionem praecedere ſolent. Nam, ſi diu poſt hauſta eiusmodi pocula abortus contigerit, aliis etiam cauſſis, interdum fortuitis, tribuendus eſt. Quodſi uspiam, in hac profecto quaeſtione ſolvenda, circumſpectione opus eſt, ne vel crimen impune maneat, vel innocens poenam habeat.

34.

Neceſſaria eſt aetatis, qua abortus gaudet, determinatio; quae plerumque probabilis, ambigua tamen interdum eſt, neque ad dies, ſed ad hebdomadas duntaxat finiri poteſt. Qui de hac re indicium laturus eſt, evolutionis leges probe noſcere debet.

Quodſi enim ante quartam ſeptimanam partus eliditur, ovum ſolum eſt, nubecula in limpido latice

apparente, villisque numerofis cincta facie, qua utero adhaeret: cruenta faepe ineft feu vafculofa et carnea maffa. (*phyf.* §. 533.) Quarta autem feptimana, cum ovum gallinacei molem aequat, formati iam fetus veftigia difpiciuntur: gyrinorum fimilis, caudatus eft, veficula umbilicali inftructus: formicam fere mole aequat. Sexta hebdomade, cum anferini molem ovum habet, fetus apis magnitudine; caput ingens, oculorum veftigia punctiformia, tubercula quatuor loco manuum pedumque monftrat. Medullam fpinalem et cor manifefto in pellucido fere corpufculo difpexeris. Interea pondus magnopere increfcit, ut Wrisbergii fetus decem hebdomadum tres drachmas pondere aequaret, longitudo duos pollices. Tertio menfe iam digitum longus effe folet, placenta evolvitur, pedes manusque. Quarto menfe fex aut octo pollices longus, uncias duas aut quatuor pondere aequare folet. Quinto aut fexto duodecim pollices longus eft, duodecim uncias pendere, membrana tamen pupillaris adhuc adeffe folet. Septimo menfe in mafculo fetu teftes defcendunt, in utroque crines prodeunt: pondus aequat tres aut quatuor libras.

35.

Nec aliena eft de mola quaeftio. Quodfi enim mulier haud nupta, poft graviditatis figna, tertio, quarto aut quinto menfe enixa fuerit congeriem ve-

ſicarum, pedunculis uvarum more cohaerentium, ſive ſacco communi incluſarum, ſive ope maſſae carneae nexarum, aquam limpidam continentium, ſuſpicio eſt, eam concepiſſe, e degenerata placenta eam congeriem natam fuiſſe atque in quadam veſica fetus marcidi veſtigium repertum iri. (*path. ſpec.* §. 601.) Molae vero carnoſae ſarcomata potius nuncupanda ſunt, vel etiam polypis adnumerandae, neque conceptionis praegreſſae ſuſpicionem movent.

36.

Atrociter peccatur, ſi maturior partus a matre ipſa aut ab obſtetrice enecatur, priusquam ſpiritum duxerit. Fieri id ferunt potiſſimum a flagitioſa obſtetrice, dum vel acum aut mucronem capiti infligit, aut caput ita comprimit, collum vel funiculo umbilicali vel laqueo etiam hactenus conſtringit, ut mors neceſſario ſequatur. Quod crimen a iurata obſtetrice haud quidem exſpectandum ut caveatur, patriae leges ſtatuunt, feminae haud nuptae partui, praeter obſtetricem, honeſtam aliam mulierem adſtare debere. (*Allg. Geſetzb. für die pr. Staaten*, Th. 2. Tit. 20. §. 911.) Bavaricae leges vinculis et ergaſtulo mulctant mulierem, quae fetum nondum in lucem editum vi et conſulto enecat. (*Strafgeſetzb. für das K. Bayern.* art. 171.)

Cap. IV.

DE PARTU LEGITIMO.

37.

Graviſſima eſt quaeſtio iudicialis, partus praecox, i. e., qui ante ratum a natura terminum eliditur, aut ſerotinus, i. e., qui poſt eum terminum editur, legitimus ſit, an hereditatem conſequatur, teſtamentum rumpat etc.?

In qua quidem quaeſtione ſolvenda primum e phyſiologia et obſervatione repetenda eſt ſententia: naturaliter geſtari partum novem menſes, ſeu ducentos ſeptuaginta tres aut octoginta etiam dies, licet aliquot dierum ſpatio praecocius aut tardius partus contingere poſſit. (*phyſ.* §. 548.) Quodſi cum hoc termino a conceptione ſigna externa maturi fetus congruunt, nihil obſtat, quin legitimum declaremus partum.

38.

Maturitas fetus cognoſcitur tum e pondere et longitudine: illud ſex utplurimum libras civiles germanicas, haec pollices duodeviginti aequare ſolet: quanquam multa et graviorum et maiorum fetuum exempla occurrant. Dein neceſſe eſt, totum corpus vera epidermide firmiuſcula glabra et incarnata obtegatur, crines in capite, in digitis ungues prodie-

rint; funiculum umbilicalem etiam oportet robuſtum eſſe. Maturus infans, qui et ſanus eſt, protinus ut in lucem editur, eiulatu cubiculum implet, membra vivide movet, meconium mittit et ad ſugendum inſtinguitur.

Haud maturum eſſe fetum cognoſcimus tum e pondere et longitudine multo minoribus, tum e cuticula tenerrima, ſubrugoſa, praeſertim in facie, quae fatiſcere preſſa aut fricta videtur, tum e crinium defectu, unguium tenerrima et quaſi membranacea indole, tum denique e funiculi umbilicalis tenuitate cognoſcimus. Accedit, in pueris teſtes ante ſeptimum menſem in abdomine haerere; infantes eiusmodi ſine clamoribus aut eiulatu cubare, ſemper dormire, nullos membrorum motus edere, nec oculos aperire nec ſugere poſſe. Quae ſigna ſi concurrunt, partum eſſe praecocem atque immaturum, docent.

39.

Quanquam perſuaſum habeamus, infantem, qui maturitatis ſigna prodit, haud poſſe praecocem atque vel ſeptimeſtrem eſſe vel etiam iuniorem; id tamen pariter exploratum eſt, quod quotidiana docet obſervatio, infantes a debili et aegritudinibus obnoxia matre editos, aut quorum nutritio aliis cauſſis impedita fuit, tanquam immaturos gigni, quamlibet per

ratum tempus ac debitum geſtati fuerint. Itaque decet medicum publicum, priusquam de legitima infantis indole iudicium ferat, inquirere in tempus ipſum graviditatis, ut conſtet, matris aegritudine an peculiari debilitate nutritio impedita fuerit.

40.

Iam quaeritur a iudicibus, partus praecox, i. e. qui ante nonum menſem eliditur, legitimus ſit, poſſitque vitam protrahere.

Miſſa antiquorum ſententia iam diu abrogata de octimeſtris partus maiore vitalitate quam ſeptimeſtris (*Geſchichte der Arzneyk.* 1. p. 476. 477.); non dubitamus, partum ſeptimeſtrem, aut qui ducentos dies geſtatus fuerit, legitimum declarare, ſi modo ſigna praecocis et haud maturi infantis oſtenderit. Alioquin enim, ſi maturus eſt, neceſſe etiam eſt, ratum terminum attigerit. Patriae autem leges, ſi modo in matrimonio legitimo partus fuerit editus, et ſeptimeſtrem, dum quoque maturus editur, legitimam matrimonii prolem habent. (*Klein's Ann. der Geſetze in pr. Staaten*, 7. p. 114.). *)

*) Τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα γίνεται πρῶτον, ἀσθενῆ δὲ τὰ πολλά. Τὰ δὲ ὀκτάμηνα περὶ μὲν Αἴγυπτον καὶ ἐν ἐνίοις τόποις δύναται ζῆν· ἐν δὲ τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις ὀλίγα πάμπαν σώζεται. (*Ariſt.* hiſt. anim. 7. 4.)

41.

Alia quaeſtio eſt, partus, qui ultra ratum tempus, i. e. ultra ducentos octoginta dies protractus dicitur, pro legitimo habendus an ſpurius ſit et fraudulenter ſuppoſitus? Ea quaeſtio, in poſthumorum iure praeprimis agitata, ita ſolvenda eſſe videtur, ut, retardari omnino nonnunquam poſſe partum ad trecentos fere et decem forte dies partum ſtatuamus. Similem terminum et patriae leges volunt. (*Allg. Geſetzb. für die pr. Staaten*, B. 3. §. 19.)

Sed neceſſe eſt, in cauſſas ſimul peculiares inquiramus, quae moram illam inſolitam producere conſueſcunt. Etenim aegritudines, aerumnae et aliae cauſſae debilitantes vires naturae adeo infringere poſſunt, ut aliquot etiam ſeptimanas poſt idoneum tempus partus edatur. Cuius rei certiſſima teſtimonia exſtant in commentariis fide ſatis dignis. (*Abh. der med. chir. Akad. zu Wien*, 1. p. 102. *Stark's Archiv*, B. 2. St. 3.) Nec haeſit ſummum patrium iudicium in pronuncianda ſententia pro partu gemellorum etiam, qui trecentos et duos dies poſt conceptionem ſequutus fuiſſe perhibebatur. (*Klein's Ann.* 11. p. 297.): nec facultas medica Lipſienſis in defendendo partu undecimeſtri. (*Platner. quaeſt. med. for.* 6.) *)

*) Ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός. (*Ariſt.* hiſt. anim. 7, 4.)

Sed, qui ultra trecentos et decem fere dies nafcuntur, merito fpurii cenfentur. (*Klein's Ann.* 1. p. 201.) Mortuos quidem fetus diutius geftari, certum eft, fed de his quaeftio forenfis nulla exiftit.

42.

Huc etiam de *fuperfetatione* quaeftiones pertinent. Poteft enim vidua, praegnans a marito relicta, quae rato tempore fetum enixa eft, poft aliquod tempus alium fetum excludere, qui fitne a marito generatus ideoque legitimus, dubitatur.

Superfetare mulierem poffe, antiqua credulitas facile tulit: (*Arift. hift. anim.* 7, 5. *Plin.* 7, 11.) licet iam Plinius gemellos diftinxerit, Vopifcos appellatos (ἐπισϑίους), qui utero retenti nafcerentur, altero interemto abortu. Hos nupera doctrina plane reiecit, fi alter nimirum fetus debilis effet et alter perfectus, eodem tamen partu editi, eiusdem coitus proles habentur. Nec, fi abortus editur tertio menfe, rato denique tempore partus maturus, hi aliter nati effe videntur. Poteft enim alter gemellorum perire, altero fuperftite. Neque vivi gemelli, fi fpatio aliquot horarum paucorumve dierum femet fequuntur, fuperfetationem teftantur.

Sed negandam tamen haud prorfus effe fuperfetationem, in fuperioribus (*phyf.* §. 548.) monui-

mus: neque utero duplici ea, ſi unquam contigerit, tribuenda, cum Cuneſtrini ſtudio inventa ſit ſimplicitas ovarii tubaeque cum uteri duplicitate. (*phyſ. ib.*) Sed, cum partus maturi menſe aut longius diſtant, qualia exempla Hallerus (*elem. phyſ.* vol. 8. p. 464 ſ.) collegit, ſuperfetationem veram accidiſſe, nulli dubitamus.

Cap. V.

DE INFANTIS NECE.

I. De vita infantis dubia.

43.

Ardua de nece infantis recens nati quaeſtio et ſaepe intractabilis naturaliter in duas diducitur:

Vixerit nimirum infans in partu, an iam ante mortuus ſit?

Quodſi vivus in lucem editus fuit, vi dolo illata an naturaliter vitam amiſerit? aut culpae matris et adſtantium mors tribuenda ſit?

Infanticidium autem, de quo quaeſitores indiciarii interrogant, ſtrictiori ſignificatu dicitur delictum matris haud nuptae, inter partus clandeſtini angores vitam infanti vivo adimentis. Quodſi enim

legitimum infantem mater in matrimonio vivens interemerit, haud infanticidium, ſed parricidium, vocatur: parricidio etiam aequale putatur crimen, ſi illegitimum quidem infantem, nec tamen recentem ſed poſt nychthemeron a partu enecaverit. (*Pr. Geſetzbuch*, *Tit.* 20. §. 887. 913, *Klein's Grundſ. des peinl. Rechts* §. 345.)

44.

Itaque ad medicos confugiunt et iudices et quaeſitores, ut, vita gaviſus fuerit infans, cum in lucem ederetur, comperiant: nam in partum mortuum ſaevitia nullo modo punitur. Id autem e veſtigiis vitae praegreſſae in corpore exanimato infantis divinari poſſe creditur.

Neque in monſtrorum necatores animadvertitur, ſi acephala fuerint ideoque humanitatis expertia. (*Glück Comment. über die Pandect.* vol. 2. p. 64. *Feuerbach's Lehrb. des peinl. Rechts*, §. 207.)

45.

Quorum veſtigiorum princeps fere atque palmarium habetur pulmonum per ſpiritus ductos mutatio. Nituntur autem, qui huic teſtimonio fidem habent, ſententia Galenica, vitam ſine ſpiritus ductione eſſe non poſſe, nec aſpirare poſſe infantem aut reſpira-

re aërem, nisi qui vivat *). Ea autem sententia quamvis ex toto quidem negari non possit, occurrunt tamen omnino exempla vitae, quae sine respiratione et circuitu sanguinis per pulmones protrahitur. Quodsi enim vel foramen ovale inter utrumque cordis atrium apertum manet, vel cordis septum haud rite formatur, vel etiam aorta utrique ventriculo adaptata est, (*path. gen.* §. 201.) vita omnino fruitur infans, neque tamen omnis omnino sanguis venosus per pulmones pellitur, ut ibi oxydatus in arteriosum abeat. Etiamsi igitur pulmones suo munere haud perfungantur, vita tamen omnino fruitur infans.

Dein credibile est, cum nervos pulmones potissimum e medulla spinali accipiant, posse etiam spirituum ducendorum officium contingere sine vita sensifera ea, quae humano juri idoneum reddit infantem. Itaque et monstra acephala, humano jure destituenda (§. 18.) et hydrocephalos, vitam aegerrime protracturos, spiritus tamen ducere per aliquot tempus quid est quod vetet?

46.

Pulmonum functio, eaque effecta earum mutatio creditur aliter locum obtinere non posse, quam

*) Galen. de loc. adf. lib. 6. p. 214. *Πεπίστευται ἀχώριστον εἶναι τοῦ ἀναπνεῖν τὸ ζῆν, τοῦ τε ζῆν τὸ ἀναπνεῖν, ὥστα καὶ τὸν ζῶντα πάντως ἀναπνεῖν καὶ τὸν ἀναπνέοντα πάντως ζῆν.*

edito iam in lucem fetu atque abſoluto hactenus partu, ut abdomen etiam penitus vinculis materni uteri ſolutum ſit. In quo tamen perhibendo egregie falli, priores Idenae (*Gedagten om het dryven en zinken der Longe.* Leeuward. 1739.) et Croezeri (*Ontwerp van de eerſte Inademing.* Groen. 1740.) nuperae etiam obſervationes Fickeri (*Beytr. zur Arzneyw. Heſt* 2. *p.* 130.), Schmittii (*neue Verſ. und Erf. über die Lungenprobe*, *Wien* 1806.), Oſiandri (*Denkwürd.* 1. *p.* 67. *Salzb. med. Zeit.* 1809. *vol.* 2. *p.* 27.), Sieboldii (*Ann. der Entbindungsk.* 1. *p.* 100.) et Thilenii (*Loder's Journ. vol.* 4. *p.* 638.) probant. Ii enim vagitum infantis uterinum toties irriſum ſemet audire meminerunt. Poſſe autem fetum in utero ipſo ſpiritus ducere tum demum rationi non repugnat, cum aquae, quibus prius innataret, diffluxerunt, os eius ita ad uteri os et vaginam converſum eſt, ut facilius, latius aperto uteri ore, auram ducere externam valeat.

47.

Alia naſcitur difficultas e variis exemplis, ubi infans vel debilis vel cito enecatus unam duntaxat vel alteram aſpirationem perfecit, qua pulmonum vaſorumque mutatio ea, quam repetita ſpirituum ductio efficit, nequaquam perpetratur. Ecquis enim ſtatuerit, prima eaque imperfecta aſpiratione ſtatim foramen ovale claudi, ductum Botallianum obliterari,

pulmones adeo pandi, ut tota veſicularum compages aëre externo impleatur, vaſa omnia turgeſcant et directionem mutent, atque omnis omnino ſanguis penitus oxydetur! Haec utique ſenſim ac minutatim mutantur, unde, ſi ſtatim poſt primos ſpirituum ducendorum conatus infans trucidatur, mutationes eae impeditae partimque duntaxat abſolutae ſunt. Itaque fides habenda eſt clariſſimis auctoribus, qui pulmonum mutationes haud contigiſſe per debiles eos ac paucos conatus experti fuerunt. (*Eph. nat. cur. cent.* 1. 2. *obſ.* 121. *Loder progr. de pulmonum docimaſia. Ien.* 1779. *Becker in medic. Wochenbl.* 1786. *n.* 29. 30. *Scholl de ſubſident. pulmon. Tubing.* 1786. *Kiefer de docimaſia pulmonum. Ien.* 1788. *Mendel in Hufelands Iourn. B.* 32. *Preu in Salzburg. med. Zeit.* 1806. *vol.* 3. *p.* 446.) Quarum obſervationum nonnullae quidem in infantibus praecocius iuſto natis ac fere ſeptimeſtribus inſtitutae negotii plurimum faceſſere nequeunt, quod immaturitatis teſtimonia clara eſſent. Non deſunt tamen et maturorum infantium caſus, quorum pulmones per debiliſſimam aſpirationem parum aut nihil mutati eſſent. (*Schenk in Hufeland's Iourn.* B. 28. St. 3. p. 97. Per quatriduum vixerat et ſpiritus duxerat et vero etiam eiulaverat puella, cuius pulmones tamen in aqua ſubſederunt.)

48.

Quaenam autem ſint pulmonum mutationes per ſpiritus ductos effectae, diſpiciendum eſt. Et primum quidem aëre aſpirato pulmones leviores redduntur, quod levius pondus duplici modo probari conſueſcit: vel natatione in aqua, vel ratione ad pondus reliqui corporis. Prius experimentum *docimaſia pulmonum hydroſtatica*, alterum *Ploucquetiana* vocatur.

Quod primam docimaſiae ſpeciem attinet, negari nequit, pulmones et integros et in fruſta ſectos aquae innatare, ſi omnino ac perfecte aërem pluries aſpiraverint. Quae functio cum imperfecte perpetrata fuerit, vel in media aqua haerent vel omnino ſubſidunt. (*Iäger in Loders Iourn. vol. 3. p.* 572.)

49.

Ut hoc autem ſcrutinium inſtituatur, oportet prius pulmones e thorace exemtos ita invertere manuque ſuspenſos per aliquantulum temporis tenere, ut e fiſtula ſpiritali effluat, quidquid humorum forte in pulmonibus haeret. Quo facto vas ſumendum eſt, neque anguſtum neque planiuſculum, ut facili negotio pulmones libere natare poſſint: pedem ſaltem diametros transverſalis et longitudinalis aequet. Id implendum eſt aqua pura frigida fluviatili aut pu-

teali: cocta enim aqua et egelida minus commoda est: impura fallax. Pulmones cum corde protinus haud iniiciendi fed imponendi funt aquae ac hactenus circumferendi in aqua, ut, quamnam altitudinem fervent, obfervari poffit. Tum feparato corde foli pulmones, dein alter lobus poft alterum, denique fecandum vifcus in frufta, quae eodem modo aquae, interim denuo depurgatae, immittenda; fimul tamen, dum fecatur, obfervandus eft ftrepitus, quem fectio facit, animadvertendae bullae aëreae erumpentes aut fpuma dimiffa aut pravitas etiam pulmonum et vitiofum aliquid iis inhaerens.

Quodfi igitur fummae aquae pulmones et integri et in frufta fecti innatant; leviores effe aqua efficimus. Eam autem levitatem inde derivamus, quod haud omnis omnino aër refpiratione e pulmonibus expellatur, fed vel in minimis lobulis et veficulis pulmonalibus copia eius fuperfit. (*phyf.* §. 212.) Quodfi vero haud perfecte perpetrata fuerit functio, ut in folos ramos fiftulae fpiritalis penetraverit, neceffe eft, pulmones minus leves fuperficiem haud petere, fed vel in media aqua haerere vel fundum etiam petere. Cum anteriores et inferiores pulmonum partes, dexter etiam lobus prius et affluentius aëre tumefcant (*phyf.* §. 207.); faepius etiam contingit, pulmonum partes dexteras et anteriores magis aquae innatare quam finiftras et pofteriores.

50.

Itaque ſtrenue adfirmanda eſt vita infantis nati, cum pulmones ſani, integri et in fruſta diſſecti, ſuperficiem petunt: ambiguum eſt iudicium, cum, qui ſani ſunt ceteroque bene conſtituti, in media aqua haerent, aut cum fruſta duntaxat ſingula ſuperficiem petunt.

Iam vero quaeritur, putredine eius viſceris levitas ea effici poſſit? Ad quam quaeſtionem ita reſpondemus, ut primum moneamus, ſi quando computruerint pulmones, totum iam corpus infantis tabo diffluere, cum ultimo fere loco corruptio id viſcus adfligere ſoleat. Itaque id ab ea cauſſa pendere, nunquam ambiguum eſt. Dein Hebenſtreitius iam bene monuit, pulmones eiusmodi natare duntaxat in aqua tabo ſpurca, dumque nondum expreſſum id eſt, quod levitatem facit. Quodſi vero pura adhibetur aqua, tabum etiam exprimitur e pulmonibus, qui ante ſuperficiem peterent, iam ſubſidere neceſſe eſt. Nec color pulmonum, quem infra probationi commendabimus, putredine ita mutatur, ut fuſcus eorum, qui nondum ſpiritus duxerunt, in roſeum aut pallidum vertatur. Itaque egere poſſumus experimento, quod Rooſius ſuadet, ut, reliquis viſceribus aquae impoſitis obſervetur, ſubſidant an ſupernatent: eo enim modo explorari, an et pulmones putredine attollantur. Superfluum id

arbitror, cum pulmones putridi longe alio modo ſe habeant.

51.

Alia exiſtit difficultas ex inflatis pulmonibus.

Quaeritur enim, ſi unquam arte aër in pulmones infantium mortuorum inflatur, an eadem levitas eaedemque pulmonum mutationes contingant, quae naturale pulmonum officium ſequuntur? Credibile id videtur, ſi praecipue experimentorum Galloiſii nuperrimorum (*Le Gallois expér. ſur le princ. de la vie*, p. 248.) meminerimus, qui in mammalibus, capite praeciſo, per aërem in fiſtulam ſpiritalem viciſſim inflato et emiſſo, potuit imitari motus thoracis alternos ipſosque reiterare cordis motus, nullo tamen excitato calore animali. Sic iampridem Büttnerus (*vom Kindermord* §. 53. *Obductions - Zeugn.* n. 72.) pulmones infantis, quem mortuum peperiſſe atque, ut reſuſcitaret, aërem inflaſſe retulerat mater, ſubpallidos vidit, obſervavit etiam in media aqua haerere. Cui accedit Schmittii teſtimonium, qui per inflationem non ſolum pulmones ad natationem cogi, ſed ſpumam etiam ſtrepitumque e diſciſſis elidi pectusque ipſum elevari experientia edoctus refert. (*Neue Verſ. und Erf. über die Lungenprobe, Wien.* 1806.) Nec aliena ſunt Iägeri experimenta (*Salzb. med. Zeit.* 1796. vol. 3. p. 55.), qui ſtre-

pitum eumdem et levitatem pulmonum aëre inflatorum animadvertit.

His quidem infringeretur atque omnino corrueret pulmonum docimaſia, ſi, quod protinus poſt mortem violentam Galloiſius effecit, vaſa pulmonum ſanguifera hac inflatione replerentur. Id autem neutiquam fieri, per ſe credibile eſt, ipſaque experientia firmatur. (*Büttner l. c. p. 374. Auguſtin's Archiv für Staatsarzneyk.* 1. p. 51.) Hinc etiam ut infra pateſcet, pondus pulmonum haud increſcit eo artificio, ut et Ploucquetiana docimaſia, ſi unquam, in hoc caſu plus valeat quam hydroſtatica.

Non defuerunt, qui totum hoc argumentum nusquam in rerum natura occurrere, ſed eſſe potius opinationem autumarent, cum mulier, quae infanticida ſit, nunquam uſura ſit hac arte, ut infantem ſervet. At vero ſunt omnino eiusmodi exempla, a Büttnero et Auguſtino memorata. Neque enim infanticida fuerit, quae hoc fecerit, ſed medici eſt, in corpore infantis inventi id diſcrimen probe indagare, ſi mulier confeſſa fuerit, ſe infanti poſt partum exanimi aërem inflaſſe.

52.

Accedimus ad aliud docimaſiae genus, quod a Ploucqueto nomen habet. Nititur id pondere pulmonum per aërem aſpiratum circuitumque ſanguinis

aucto. Siquidem perſuaſiſſimum habemus, aſpiratione ſanguinem irruere pulmones, ibique, oxygene evoluto potius quam ex atmoſphaera attracto, denſari (*phyſ.* §. 216.); ſequitur inde, pondus pulmonum omnino increſcere debere, ſi cum pondere totius corporis comparetur. Credidit auctor huius docimaſiae, ſi pulmones infantis maturi, qui nondum ſpiritus duxerit, quindecim drachmas pependerint, pulmones eiusdem infantis, qui aërem attraxerit, triginta drachmas pendere: rationem autem illius ad totius corporis pondus eſſe 1 : 70, huius 2 : 70. (*Ploucquet comment. in proc. crim. ſect.* 2. §. 109. *Loders Iourn. vol.* 2. p. 379.)

Iamdudum animadverſum eſt in hanc docimaſiam, nec ſexus discriminis rationem eſſe habitam nec profuſi ex abrupto forte funiculo umbilicali ſanguinis. (*Metzger in Loders Iourn. vol.* 2. p. 141.) Ad hanc autem obiectionem Iägerus recte reſpondit, ſi unquam ſanguinis profuſionibus intermortuus fuerit infans, parem κενεαγγίαν eſſe totius corporis ac pulmonum ſimilem ponderis rationem ſervare. (*Iäger de vita neogoni*, p. 38.)

Sed, quod maximi eſt momenti, nec Haartmannus invenit (*Stockh. acad. handl.* 1799. *tom.* 20. p. 40.), pondus pulmonum pariter increſcere aut minui cum vario totius corporis pondere: nec Struvius, cuniculis ad ea experimenta adhibitis, conſtan-

tiam ullam rationis obſervavit (*diſſ. de docimaſia pulmonum Ploucquetiana. Hal.* 1802): nec Schmittius, qui egregie in his experimentis deſudavit, confirmatas vidit Ploucquetianas rationes.

Itaque haud tanti aeſtimanda eſt haec docimaſia, quin hydroſtaticae, quanquam nec ipſi ab omni ambiguitate alienae, praeferatur.

53.

Graviſſimum tamen eſt conſilium, haud ſoli pulmonum ponderi, vel ſpecifico vel abſoluto, fidendum eſſe; ſed reliquarum etiam mutationum, quas ſpirituum ductio producit, ſedulo rationem habendam.

Perfecte perpetratum eſſe pulmonum munus, et inde collegeris, ſi pericardium a pulmonibus obvelatur, his non totum duntaxat thoracem implentibus ſed eum etiam in maiorem amplitudinem diducentibus. Quod quamvis egregie probet, perfunctos eſſe ſuo officio pulmones, poſt imperfectum tamen huius functionis exercitium haudquaquam valet. Namque in cadaveribus infantum, qui vel in partu vel brevi poſt eum deceſſerant, Schmittius ſemper pericardium duntaxat partim a dextro pulmone obtectum invenit. Nec in infantibus, qui nunquam ſpiritus duxerant, totum pericardium nudum reperitur.

Alia eſt vaſorum pulmonalium facies in iis, qui ſpiritus duxerunt ac in iis, qui eius functionis expertes ſunt. Circa turgidas aëre veſicas pulmonales vario modo flectuntur ac protenduntur, cum collapſa ſunt in iis, qui nondum aërem traxerunt. Quod utique egregium eſſet ſignum, dummodo facile et ubique diſpici poſſet. Sed aeque arduum eſt, hanc vaſorum mutationem obſervare, ac coloris, qui fuſcus eſt in pulmonibus, qui nondum ſpiritus duxerunt, transitum in pallidum aut incarnatum eorum, qui perfecte munus perpetrarunt. Plures enim gradus adſunt, a maiore vel minore functionis perfectione pendentes.

54.

Ut de vita infantis recens nati certiores fierent, nonnulli confugerunt ad veſicae urinariae ſtatum. Cum enim lotii miſſio partim arbitrio perficiatur (*phyſ.* §. 287.); iuvantibus inprimis muſculis abdominalibus, dum reſpiratur e pulmonibus aër excitatis (*ib.* §. 289.); evidentiſſimum arbitrati ſunt teſtimonium praeviae reſpirationis vacuitatem eius conceptaculi; plenitudinem autem teſtari infantem mortuum in lucem editum fuiſſe.

Quae ſententia quam temere pronunciata ſit, e ſequentibus patet. Etenim frequenter accidit, infantes haud protinus, ut partu editi ſunt, lotium mit-

tere, ſed poſt horas etiam, dum balneo immittuntur. Itaque deterrima quaeque accidere poſſunt, priusquam lotium miſerint. Dein Halleri teſtimonio credimus (*elem. phyſ.* vol. 8. p. 368.), et fetuum veſicam interdum vacuam eſſe; atque Rooſii (*Beytr. zur gerichtl. Arzneyk.* 1. p. 52.), infantes, qui manifeſto exanimes in lucem editi ſint, veſicas habere poſſe inanes. Poteſt enim forte comprimi abdomen mortui infantis, ut lotium reddatur.

Similis eſt ambiguitas meconii alvo miſſi.

55.

Alii, Hebenſtreitio duce (*anthropol. for.* p. 319.) in ſugillationibus externis fiduciam collocant, quas ſine vi illata et vita infantis praegreſſa fieri non poſſe exiſtimant.

Equidem autem nec vitam infantis poſt partum neceſſariam, nec vim illatam poſſe e ſugillationibus certo colligi arbitror. Heſſelbachium memini in fetuum mortuorum vertice ſub pericranio ſaepius invenire eiusmodi ſugillationes, ubi nulla vis eſſet illata. (*Vollſt. Anl. zu geſetzmäſsigen Leichenöffn. Würzb.* 1812.) Quas cum nunquam in infantibus poſt partum mortuis inveniſſet, quaeſtionem proponit, poſſintne eiusmodi vitia mortis partui iam praeviae teſtimonia eſſe. Accedit Halleri auctoritas, qui

in plerisque cadaveribus infantum recens natorum, in theatrum anatomicum Gottingenſe apportatorum ſugillationes in capite obſervavit. (*Vorleſ. über gerichtl. Arzneyw.* vol. 2. tom. 2. p. 9.) A conſtringente vi, quam et collum et os uteri in caput infantis exercent, oriri easdem vero haud abſimile eſt. (*Büttner vom Kinderm.* p. 152.)

Sugillationes quoque poſt mortem naſci videmus a putredine; frequentes, cum praegreſſae fuerint febris putrida et variolae malignae, aut cum nimia opii copia adhibita ſanguinis tenuitas et disſolutio effecta eſt. (*Boſe in Waitz Samml. akad. Schrift. zur gerichtl. Arzneyw.* vol. 1. P. 4. p. 105.)

Dein et ſtringens funiculi umbilicalis vis, qui collum obvolveret, manu interea forte faciei aut capiti appreſſa, ſine ulla externa vi, ſuffuſiones excitare poteſt.

Denique caute diſtinguendae ſunt verae ſugillationes a naevis: illae enim verum cruorem in vaſa et cellulas effuſum habent: hi vero elatam etiam cuticulam et aſpritudine deformem. (*Bateman von Hautkrankh.* p. 469.)

56.

Fetum iamdiu ante partum mortuum eſſe, vulgo colligitur e foetore aquarum; rugoſa, collapſa,

lurida aut livida cutis facie; e cuticulae fecessione, quae tamen contingere potest etiam in infante vivo, vel propter morbos cutaneos vel compressionem etiam per partum violentiorem. (*Jäger in Schlegel coll. opusc. ad med. for.* vol. 5. p. 47. *Henke's Abh. aus der gerichtl. Med.* 1. p. 31.) Itaque circumspectissime iudicandum est de vita infantis ante et post partum.

II. De mortis genere, quo infans decesserit.

57.

Iam vero, si docimasia pulmonum hydrostatica ceterisque signis probatioribus credibile est, infantem in partu et post eum vixisse, quaesitores iudicesque e medico publico sciscitantur, naturaliter obierit infans, an culpa vel dolo matris aliorumque interemtus fuerit?

Haec autem quaestio eo difficilius solvitur, quo pauciora saepe de rebus, quae partum clandestinum comitarentur, comperta habemus. Contingit saepenumero puellas, moribus cetero innocentes, a perditoribus ludificatas, ignominiam sibi voluntariam consciscere nolle, fatendo graviditatem, quam saepe ignorant. Hae, ut angoribus et torminibus partui praeviis corripiuntur, nesciae, quid sibi velint haec

mala, latrinam petentes, haud opinato ſaepe fetum elidunt, qui, impactus lapidibus, ſive cloacae immerſus, ſive ex alto lapſus, abrupto funiculo umbilicali vario modo enecatur. Nec deſunt exempla, ubi praeſcia omnino partus mulier, eumque naturaliter abſolvens, ſimulac angoribus defuncta eſt, vel in ſomnum profundum aut comatoſum incidit, vel in ſtatum, quo neque ad cogitandum, neque ad agendum libere mentem erigere poteſt. Itaque culpa quidem, non dolo, infantes interficiuntur.

58.

Quod cum mortis genus ad reae excuſationem obtenditur, medici eſt decernere; poſſitne puella graviditatis, praeſertim primae, inſcia eſſe? Statuenda ſit partus ipſius ignoratio? Poſſitne parturiens ita a ſe exire, ut mentis non compos ſit, neque libere agere valeat? Poſſit denique fieri, ut, vel intermiſſa funiculi umbilicalis deligatione, vel lapſu infantis in ſolum durum vel in latrinam interimatur?

59.

Quodſi defenſio reae petitur ex inſcitia graviditatis partusque inſtantis, iudicium proficiſcatur neceſſe eſt ab ingenio, moribus et valetudine reae. Etenim puella vix nubilis, blanditiis nefarii hominis

corrupta, feducta illius fponfionibus, nil noxae e primo coitu fecuturum, gravidam fe effe haud credit, quoniam figna nefcit. A menftruis defectam fe effe queritur forte, fed morum fanctimonia et immatura iuventus etiam alios impediunt a criminatione. Accedit, nonnunquam fymptomata vulgaria graviditatis, naufeam, vomituritiones, imo ipfos fetus motus a media inde geftatione aut deeffe penitus aut minus fentiri.

Partus ipfius prima fymptomata vix a tenefmo vehementi differunt, cum quo novae in his negotiis puellae faepiffime ea confundunt. Itaque mirum non eft, latrinam petere, in qua partus perire poteft.

Dein, quanquam mulieres ad meretriciam turpitudinem iamdudum abiectae, ut deprecentur crimen, faepe fingere lipothymiam in partu foleant: excufationi omnino locus eft, fi cetera congruunt. Namque, ut pauca ex innumeris adferam exempla, Tulpio narrante (*lib. I. obf.* 10.) mulier praegnans, hyfterica paffione conflictata, infcia partum edidit, derogans adhuc fidem amicis id uno ore adfeverantibus. Ab eadem cauffa ignorantiam partus profectam effe in adfini ipfius idem refert, quae fimul vifu privata fuerit. Similes cafus memoriae tradiderunt Harvaeus immortalis (*de gener. anim.* p. 358.) et Pechlinus (*lib.* 1. *obf.* 30.); Smellieus ex epilepfia

natam eſſe eam torpedinem, ut inſcia partum abſolveret mulier. (*Collect. of preternat. caſes in ſurgery*, vol. 3. p. 184.); Haenius etiam ex apoplexia (*Rat. med.* vol. 3. p. 243.); Chriſtieus e comate cum eclampſiis (*Kühns phyſ. med. Iourn.* 1801. p. 670.); Rooſius e ſyncope (*Loders Iourn.* 1. p. 132.); Platnerus denique e ſomnambuliſmi ſpecie (*quaeſt. med. forenſ.* 40.). Alio loco iam (*path. ſpec.* §. 500.) de aſphycticarum partu egimus. Itaque in puella bene morata et haec excuſatio nullo modo legibus naturae adverſaria eſt.

Poſſe et mulierem, haud primiparam, atque ſibi conſciam, partum elidere perfectum in ipſa latrina, atque id plane ignorare, egregium docet teſtimonium Kleinii. (*Harles Iahrb. der teutſchen Med.* B. 3. Heft 1. p. 48.)

60.

Neglectam funiculi umbilicalis deligationem culpae adnumerandam eſſe, exploratum habemus, quam cauſſantur, ubi a ſe exierint aut aſphyxia correptae fuerint. Controverſia de neceſſaria funiculi umbilicalis deligatione ita compoſita eſſe videtur, ut ſtatuatur, haud quidem ubique letiferam eſſe negligentiam talem, ſed, aliis etiam rebus faventibus, poſſe omnino ſanguinem inde ita profundi, ut κενεαγγία letalis ſequatur. Nunquam conſilii eſt, e ſola deliga-

tione funiculi aliam necis cauſſam praetendere: potuerat enim funiculus vinciri, poſtquam ſanguis omnis amiſſus eſſet: neque e neglecta deligatione ilico hoc mortis genus colligendum eſt, cum et aliae ſimul cauſſae adeſſe poſſint.

Quodſi infans tenellus debilior iuſto eſt nec ſanguine abundat, ex omiſſa funiculi deligatione multo minus periculi derivandum eſt.

Memorabile etiam eſt temporis discrimen. Quodſi enim in ipſo partu abrumpitur funiculus, priusquam novas vias ſanguis ſibi muniverit, aſſuetus e placenta fontem accipere, multo maiorem caſum habet, quam cum iam aliquoties infans ſpiritus duxerit, novae igitur viae ſanguini patuerint.

Quo propius ab umbilico funiculus abſcinditur, eo probabilior eſt ſanguinis profuſio ex eodem letalis, unde et longitudo eius funiculi probe notanda eſt.

Abruptus nec deligatus funiculus, qui longe ab umbilico propendet, ab ſugillationibus ſtagnante etiam ſanguine refertus eſt, minorem necis culpam ſuggerit, quam abſciſſus.

Cum funiculus umbilicalis collapſus eſt et flaccidus, corpus etiam male nutritum et marcidum, haud facile ex illo profuſio ſanguinis letalis orta fuit, ſed fetus iam in utero ſanguinis penuria laboraſſe vi-

detur. Quod vitium ſi non adeſt, neque aliae laeſiones, ſi abſciſſus eſt prope ab umbilico funiculus, ſi corporis pallor, vacuitas cordis, atrii praeſertim anterioris et maiorum vaſorum accedunt, probabilis eſt mortis cauſſa ex hac profuſione.

61.

Alia eſt necis cauſſa, culpae ſaepius verſa, nonnunquam autem doloſa: ſuffocatio, quam praetendunt, quae inſciae in lectis peperiſſe fatentur. Ea autem mortis ſpecies, ubi vel culcitarum moles vel ſubmerſio in aqua cloacae aërem arcuiſſe a pulmonibus functionemque eorum impediiſſe creditur, in partu ipſo et brevi poſt eum per ſe haud ſine difficultate conceditur, cum nulla ſit neceſſitas, cur ſanguis, per pulmones tr . sire prohibitus, priores legere vias per foramen ovale et ductum arterioſum nequeat. Maxima autem naſcitur difficultas, ſi quando in cadavere infantis manifeſto apertos eos meatus deprehendimus. (§. 44.)

Quodſi vero iam clauſi ſunt ii ductus, ſi in cordis atrio dextro, vena cava et arteriis pulmonalibus cruor magnopere turget; ſi et pulmones lividi et fiſtulae ſpiritalis ramuli ſanguine ſpumoſo abundant; ſi vaſa meningum et ſinus ſcatent eodem cruore, aut utriusque viſceris vaſa rupta etiam inveniuntur; toto corpore livido et maculis cruentis

foedo: tunc omnino efficitur, apoplexia interemtum esse infantem aut impedito sanguinis circuitu.

Eius autem mortis variae esse caussae possunt. Namque debilitas infantis et spastici adfectus, a frigore forte orti, nonnunquam brevi post partum eum ita enecant, ut sanguinis motus eodem modo intercipiatur, ac si strangulatus aut suffocatus esset. Organica vitia congenita, enormitas cordis, thymi, hepatis; coalitus vasorum pulmonalium et bronchiorum; polypi et alii tumores pulmonibus vel pericardio adhaerentes motum cordis praepedire sanguinisque circuitum per pulmones prohibere valent. Haec igitur vitia probe distinguenda sunt.

62.

Harvaeus iam monuit (*de gener. anim.* p. 356.), obstetricibus expertis haud ignotum esse, conceptum aliquando integrum, membranis illaesis, excludi. Quae membranae nisi demantur, os infantis obtegentes, mortem consciscere per aspirationem impeditam, visae sunt. (*Scherf in Kopp's Iahrb.* 5. p. 338.) Itaque sola vel matris culpa, vel obstetricis absentia, ea mors consequitur.

Alia est, quam Schmittius urget (*neue Vers. und Ers. uber die Lungenprobe*, p. 248.), mortis caussa: funiculi umbilicalis in partu praevii compressio, quam

vel os uteri vel crura mulieris parturientis, nervorum distentionibus forte agitatae, efficere possunt. Quod cum contigit, omnia fere suffocationis signa, maxime turgor atriorum cordis vasorumque maiorum in cadaveribus conspiciuntur.

Neque rara est strangulatio infantis, quam funiculus umbilicalis collum constringens, vel ipsum uteri os, ut caput exclusum est, violenter vasa colli comprimens, efficere valet. Haec vero strangulatio fortuita, quae ne in culpam quidem matris verti potest, quomodo differat a strangulatione dolosa, quae fune collo circumdato aut manibus digitisve collum comprimentibus perpetratur, aut aegerrime aut plane non perspicimus. Namque aequabilem compressionem sugillationemque, quam absque cuticulae secessione Ploucquetus oriri a funiculo umbilicali aut ore uteri constringente arbitratur, (*Über die gewaltf. Todesarten*, p. 379.) a collaribus vinculis sericeis aut aliis molliusculis rebus, quibus strangulatus est forte infans, existere possunt. (*Roose's Taschenb. für gerichtl. Aerzte*, Aufl. 4. p. 201.)

Dein sine culpa matris suffocatio oritur mephitide aut vaporibus lithanthracum metallicisve. Quorum nisi foetorem in loco, ubi infans iacet, senseris, difficillimum est indicium. Etenim maculae per totum corpus lividae, labia violenter contracta et

et livida, rigores membrorum turgorque sanguinis atri in atrio dextro arteriisque pulmonalibus haud peculiaria sunt huius mortis indicia, sed suffocationem praegressam generatim probabilem reddunt. Tunc quoque cito putrescere solet corpus, (*Büttner vom Kindermord*, p. 136.) atque pulmones sanguine farcti aquae, cui immittuntur, fundum petere.

Denique et pituitae fortuita colluvies in ore, larynge et fistula spiritali haud paucos enecat infantes recens natos, sine ulla matris culpa. Eam caussam suffocationis optime eruere tum ex inspectione cadaveris tum e relationibus fide dignis possumus. (*Klein's Annal.* B. 14. p. 273.) Liquorem postremo amnii, quem Scheelius (*Diss. de liquore amnii*, p. 62.) credidit, in fistulam spiritalem abire atque in recens natis nimium oxygenis stimulum mitigare, ut bullis aëreis reddatur, posse nimia copia suffocare infantes, maxime dum nimis viscidus fuerit, haud absurdum est. (*Büttner vom Kindermord*, p. 197.)

63.

Culpa vel dolo submersio in aqua suffocationem producit. Necessarium est scrutinium vitae praegressae, quam docimasia pulmonum hydrostatica probabilem reddit. Dein caussa haec mortis divinatur, quoties infantis corpus ex aqua extractum fuscum est et lividum, labia sunt subcoerulea, lingua

protrufa, fpuma ante os, aqua etiam ex ore naribusque profluit. His accedit in fectis cadaveribus fiftula fpiritalis fpuma farcta, fi haud ilico apoplexia interemtus eft infans, fed plures irriti afpirandi conatus mortem praeceſſerunt. Deficit enim fpuma aquae cum afpiratione in fiftulam fpiritalem immiſſae, cum momento ipfo, ubi in aquam caderet aut mergeretur, apoplexia oppreſſus eft. Sed in atrio cordis dextro arteriisque pulmonalibus, finibus et ventriculis cerebri cruoris turgor femper adeft, vacuo interim aut minus pleno atrio finiftro.

Magnopere dubium redditur examen, fi liquore amnii forte pulmones obfeſſi irrita fecerint conamina afpirandi, mortuus autem infans in aquam coniectus eft. Nefcio, quo pacto Wildbergius (*decif. medico-legal. de inf. neogenit.* p. 109.) ipfa microfcopica liquoris ftagnantis inveftigatione chemicaque analyfi credat haec diftinguere poſſe. Namque liquor cum aqua mixtus inveftigari haud facile poteft.

64.

Sceleftiora funt manifeftioraque alia infanticidii genera: luxatio vertebrarum aut fractura, quae ilico capitis mobilitate abnormi cognofcitur: fonticuli pulfatilis laefio ope acuum, clavorum aut fola compreſſio vehemens ac diuturna. Haec ultima qui-

dem cauſſa cognoſcitur ecchymoſi ſanguinis ſupra vel infra duram meningem, rubore perioſtei, ſtagnatione quoque ſanguinis in vaſis et ſinibus. Sed quo tenuius eſt ferramentum, quod impingeretur in fonticulum, eo difficilius poſt mortem veſtigia eruuntur: ecchymoſes ſaltem ſanguinis et colluvies aquoſa in ventriculis adſunt, quae tamen et apoplexiam comitantur.

SECT. II.

DE IURE VULNERATORUM ET OCCISORUM.

Cap. I.

DE LAESIONUM LETALITATE.

65.

Laesiones dicimus, quae alii medici forenses vulnera nuncupare solent. Vulneris autem informationem iam alio loco strictiorem dederimus (*path. gen.* §. 194.), adhaerendum est laesionis voci, quippe quae omnes complectitur iniurias, quibus et mors et valetudo adversa efficitur, vel membrum aliquod abstollitur. Itaque et plagas et rupturas etiam et luxationes, concussiones, veneficia etiam et nutrimentorum omnium remotio laesionibus adnumerantur.

66.

Cum nulli licitum sit, nisi in bello, aut iudicis decreto, hominem, qui suae spontis est *), ita

*) Anglicae leges volunt, occisus fuerit ratione praeditus et pace regia gavisus. (*The person killed must be a reasonable creature and under the kings peace. Blackstone's comment. on the laws of Engl.* B. 4. ch. 14. p. 197.)

laedere, ut vel vita vel ſanitas periclitentur; quaeſitores ſciſcitari ſolent e medicis publicis aut iuratis, laeſiones quemnam effectum habiturae ſint aut habuerint?

Duplex enim atque ſatis diverſa eſt quaeſtio medicis forenſibus propoſita. Altera, quae in prognoſi verſatur, dum vita fruitur laeſus, exiſtit: poſſitne mortis effugium adſequi aut quaenam damna inde manatura ſint? Altera poſt mortem naſcitur: ſitne haec laeſio eiusmodi, ut necem conciliare debuerit, an mors per alias cauſſas, forte fortuna accedentes, conſecuta fuerit?

Id autem diſcrimen, quamvis cuivis obvium, haud tamen agnoſcitur ab iis, qui partitiones plagarum letalium, quibus chirurgia aut ars medica utitur, transferunt ad quaeſtiones iudiciarias, poſt mortem laeſi propoſitas. Multae enim plagae, quas ſanabiles declarat chirurgia; ſi reus a vulnerato omnem auxilii ſpem arcet, immedicabiles a medico forenſi cenſentur. Hinc ſapienter ſanciunt patriae leges: ſi vulneratus potuiſſet mortem effugere, dummodo artis praeſidia tempeſtive adhibita fuiſſent, maleficus vero inopem vulneratum reliquerit, capitis damnandum eſſe. (*Pr. Geſetzb.* tit. 20. §. 818.) Et bavaricis legibus rogatur: conjecturas ſuper ſanabili indole laeſionum excuſare reum non poſſe, ſed laeſionem cauſſam mortis cenſendam eſſe, niſi vel cor-

poris mortui investigatione et commentariorum lectione constiterit, alia potius caussa decessisse vulneratum, ac e plaga. (*Strafgesetzb. für das K. Baiern*, §. 145.)

67.

Medicus igitur aut chirurgus ad vivum vulneratum vocatus, pronunciare debet de detrimento, quod captura est vel vita vel sanitas vulnerati: cui examini haud opus est iudex adsideat, nisi testimonium chirurgi suspectum novum exigere videtur scrutinium. (*Allg. Criminalrecht für die pr. Staaten*, 1. §. 143. 144.)

In hoc autem examine iuxta leges artis et historiam medicam de laesionum periculo iudicabit medicus aut chirurgus. De quibus cum alibi (*path. gen.* §. 157. §. 206—212 f.) sermo fuerit, supersedere repetitioni possumus.

68.

Examen post mortem instituendum multo plura requirit adminicula: neque tamen semper ambiguitate caret, cum saepissime, licet caussa mortis interna palam sit, caussam tamen externam certitudine quadam eruere difficillimum sit.

Caussa mortis interna effectibus per cadaveris sectionem declaratis eruitur: externa autem, quaenam

fuerit, in cadavere neutiquam ſemper apparet, ſed vel ex actorum commentariis vel ex inſtrumenti collatione cum vulnere vel ex aliis etiam rebus aut certo efficitur, aut probabili coniectura colligitur, aut etiam plane ambigitur. Manifeſta quidem eſt congruentia gladii aut pugionis, quo ſicarius vulneratum aggreſſus fuit, cum plaga in cadavere reperta. Sed inter colluctandum, ubi pugnis et calcibus dimicatur, ubi humi proſternitur alter, alter muro forte adliditur, variae laeſiones exiſtunt, quas, ſi e. g. ebrius fuerit uterque pugnator, e vi illata aut e caſu in ſolum lapidoſum, aut ex iracundiae etiam fervore et ebrietate iuxta expoſueris. Teſtimonia adſtantium ni praeiuverint, iudicium ambiguum manet. (*Platner quaeſt. med. for.* 10.) *)

69.

Optimum eſt discrimen, quod et pleraque iudicia urgent, letalium generatim laeſionum, earumque quae hominem peculiari conſtitutione aut oppor-

*) Agricola qui alium fuſtibus et verberibus iam exanimem trucidaverat, vinculis damnatur a ſummo patriae iudicio, *quia cauſſa mortis ambigua fuerit:* ſummus olim rex, merito magis quam iure, poenam extremi ſupplicii irrogat. (*Klein's Ann.* vol. 8. p. 170.) Perſpexit enim divi Friderici ingenium ineptias partitionum medicarum.

tunitate gaudentem interemerunt. Sic iam Romanae leges: „Si quis fervum aegrotum leviter percuf„ferit et is obierit, lege Aquilia tenetur, quia aliud „alii mortiferum effe folet.“ (*Digeft.* lib. 9. tit. 2. l. 7. §. 5.) Et paullo poft: „Celfus multum intereffe „dicit, occiderit, an mortis cauffam praebuerit, ut, „qui mortis cauffam praeftitit, non Aquilia, fed in „factum actione teneatur. Qui furenti gladium „promfit, in factum actione tenetur.“ (*ib.* §. 6.) Et alibi: „Multum intereft, quod ad Aquiliam pertinet, „fanum hominem occidat, an vero factum imbecil„liorem.“ (*Digeft.* lib. 39. tit. 2. l. 24. §. 5.)

Patriae leges ftatuunt, quamvis laefionem, quam protinus mors fequatur, nifi contrarium probetur, mortis cauffam effe putandam: indicandam autem effe letalitatem iuxta corporis peculiarem conftitutionem. (*Pr. Gefetzb.* tit. 20. §. 809. 810.)

Graviffima autem eft bavaricarum legum fententia: Nil requiri ad letalitatem laefionis explorandam, nifi certitudinem, eam hoc cafu et fub his conditionibus mortem acciviffe. Perinde igitur effe, five fanata fuerit alioquin artis auxilio five fecus; potueritne, tempeftivis adminiculis, letalis eventus praeveniri; protinus vel aliis effectibus per laefionem ipfam tamen adlatis, mortem confciviffe; fit denique generatim letalis, an propter peculiarem

corporis constitutionem. (*Strafgesetzb. für das K. Bayern*, §. 143.) Quodsi vero mors quidem secuta fuerit, sed persuasum sit aut probabile, alia caussa, praevia iam, nec laesione aggravata decessisse, aut laesionem, quae per se necem haud attulisset, remediis perversis vel aliis rebus forte accedentibus mortiferam demum evasisse; reum esse haud homicidae aequiparandum sed aestimandam laesionem secundum animum. (*ib.* §. 144.)

Similia sentiunt Grolmannus (*Grundsätze der Criminalrechtswiss.* §. 238.) et Tittmannus (*Handb. der Strafrechtswiss.* vol. 2. §. 187.) qui omne vulnus letale per se habet letale et nullum discrimen statuit mortis protinus laesionem sequentis et post longiorem moram. Feuerbachius etiam, summi nominis auctor, nullum esse discrimen statuit, laesio ubique et generatim mortem adferat, an hoc peculiari casu duntaxat attulerit; potuerit artis praesidiis mors averti an immedicabilis fuerit laesio: mortem protinus arcesserit an accedentibus aliis effectibus laesionis ipsius: ut, si quis puncto hominis collo aperuerit abscessum, cuius illuvie suffocetur homo. (*Feuerbachs Lehrb. des peinl. Rechts*, §. 208.)

70.

Cum hac optimarum legum doctorumque gravissimorum consensione aegerrime iungendae sunt

medicorum partitiones, quae tantum abeſt, ut iudicium adiuvent ut potius iudicum animos avertant a vèri indagatione eosque confundant.

Antiquior eſt, quamque plerique auctores ſequuntur, diviſio letalitatis triplex: abſolute, per ſe contingens, quamque per accidens exiſtere dicunt. Abſolute letalia dicuntur plerisque (*Calliſen ſyſt. chir. hodiern.* §. 1213.) ea vulnera, „quae neceſſitate „inevitabili in omnibus indiſcretim vitam exſtin„guunt: aliis (*Metzgers Syſt. der gerichtl. AW.* §. 65 f.) definitionem vitantibus, ſed exempla potius laeſionum graviſſimarum adducentibus. Per ſe letalia vocantur Büttnero (*Aufricht. Unterr. von der Tödlichk. der Wunden*, p. 50.) atque plerisque auctoribus ea, quae certo mortem adferrent, niſi artis auxilium adſequerentur. Artis autem aut naturae auxilio quod interdum, licet rarius vel rariſſime etiam vulnus ſanetur, nullum fere diſcrimen conſtituere bene perſpexerunt alii, qui, Michaele Alberti praeeunte (*ſyſt. iurisprud. med.* tom. 1. c. 14. §. 5.), vulnera per ſe letalia abſolute letalibus potius adnumeranda eſſe iudicant. Ex diverſo alii (*Eſchenbach medic. legal.* p. 70.), protinus ut vulneris ſanati exemplum fide dignum, licet unicum, in auctoribus occurrit, probari perhibent, per accidens potius letalia eſſe eiusmodi vulnera, quae aliis per ſe mortifera veneunt. Igitur neceſſe eſſet, ſi hanc

differentiam ſequeremur, ex omni hominum memoria atque ex infinitate commentariorum medicorum colligere ſanationem vel ſemel vel bis contingentem; neque eruditio haec iuvaret iudicem, cum, quod ſupra monuimus, de letalitate per ſe accidente tanta dominetur disſenſio.

71.

Hinc Ploucquetus haud immerito laeſiones bipartiri coepit: (*Comm. med. in proceſſ. crimin.* §. 18. 22 f.) eſſe enim vel letales vel haud letales: illas vero vel ex toto atque generatim mortem neceſſario adferre, vel e peculiari corporis conſtitutione aut propter fortuitas res accedentes. Quae quidem diviſio, etiamſi displiceat nonnullis auctoribus, eo tamen valuit, ut et legum latores et ſcriptores celeberrimi eam acciperent. (§. 68.) Nuperorum, Gebelii (*Knape und Heckers krit. Iahrb. der Staats-AK.* B. 1. tom. 2. p. 294.), Wildbergii (*Handb. der gerichtl. AW.* §. 307.), Berntii (*Handb. der gerichtl. AW.* §. 432.), Kloſii (*Syſt. der gerichtl. Phyſ.* p. 455.), Lucae (*Bemerk. über das Verhältn. des menſchl. Organiſm. zu Verletzungen.* Heidelb. 1814.) aliorumque diviſiones aliis duntaxat verbis expoſitam hanc differentiam celebrant.

72.

Abrogatis igitur partitionibus ſcholarum ſubtilioribus, operam dabit medicus, ut iudex clare per-

ſpiciat, quanam ratione laeſio cum morte ſequente nectatur; ſive haec generatim ac neceſſario eam exceperit, an propter peculiarem corporis conſtitutionem. Quodſi vero aegrotans laeſus fuerit, ut mors conſequeretur, exponenda quidem eſt ratio obitus, ſed ſine ulla ad excuſandum aut damnandum reum digreſſione. Accidit interdum, ut homini deſperatiſſima plaga vulnerato, inter ſanguinis profuſionem, apoplexia letalis ſuperveniat; ut homini phthiſico, haud diu vitam protracturo ſicarius vulnus letale infligat, aut flagitioſus venenum propinet. Si occidere eſt homini vitam adimere: nonne perinde eſt, aegrotus ille ſit an bene valens? Facti imputatio eadem eſt, iuris imputatio non eadem: ſed haec committenda iudicibus.

Cum autem in foris, germanicis ſaltem, iam diu obſoleverit error, mortis auctorem verum eum eſſe, qui abſolute letale inflixerit vulnus; (*Stübel über den Thatbeſtand der Verbrechen*, p. 148.) exulandae ſunt etiam e medicorum ſcholis eae partitiones, noſtrorum temporum lumini adverſariae.

73.

In ea expoſitione nexus, laeſionem mortemque iungentis, nil valet niſi ratio et doctrina de natura corporis ſani aegrotive atque de modo, quo res externae id adficiunt. Itaque temporis ſpatium lae-

ſioni mortique interpoſitum parvi pendendum eſt, cum et vulnera, quae vulgo mortem protinus adferre ſolent, interdum vel ſero vel plane non letum efficiant *). Alias autem, vel leviſſimas plagas, propter peculiarem corporis conſtitutionem, ilico mors ſequitur: e. g. alapa, temporibus inflicta, letalis fit, ob tenuitatem oſſium ac proclivitatem ſanguinis ad ecchymoſin. (*Büttner l. c.* §. 10.) Alia fit letalis, ſi infans forte validiſſima manu humi proſternitur. Occidit profecto uterque hominem: quemnam animum habuerit, culpae aut doli arguendus ſit, noſtra nil refert.

. 74.

Qui omnia laeſionum genera enumerant, ut, quemnam eventum habere ſoleant, exponant, commutare mihi videntur pathologiae et chirurgiae disciplinas cum medicina forenſi: haec enim merito exigit eas cognitiones, quae nexum laeſionum mortisque complectuntur. Itaque ſuperſedemus enumerationi huc plane haud pertinenti.

*) Duos novi homines, qui, excepto per proelium globo ſclopetario in fronte, conſaneſcerent, globo eo innoxio in encephalo remanente.

Cap. II.

DE VENEFICIIS.

75.

Veneficium dicitur delictum, quo homini venenum ita exhibetur, ut vita et ſanitas periclitentur. Itaque protinus repetenda eſt e pathologicis (§. 151.) veneni deſinitio; quod ſit ſubſtantia, vel minima doſi, per proceſſum quemdam chemico-vitalem, vitae noxia. Unde mechanica quae dicuntur venena ab eorum claſſe ſeiungenda eſſe, perſuaſum habemus.

76.

Ab antiquis inde temporibus homicidii id genus maxime truculentum poenaque graviore mulctandum habebatur quam ſimplex occiſio. Imperator iam Antoninus ſtatuit: „plus eſſe hominem exſtinguere veneno quam gladio occidere.“ (*Cod. lib.* 9. *tit.* 8. *l.* 1.) Codex Carolinus non capitis ſolum ſed rotae etiam et culei, ſi feminae fuerint, veneficos damnat: (*Conſtit. crim. carol. art.* 130.) et anglicae leges addunt rationem, quia ex omnibus occiſionum generibus minimum huic effugium conceditur per fortitudinem aut circumſpectionem. (*Blackſtone's commentar. of the laws of Engl.* B. 4. ch. 14. p. 196.) Patriae leges, quia difficillima ſit praeventu nex aut

eius caussa ardua inventu, graviorem irrogant poenam, trahendum quippe rei corpus ad supplicium. (*Pr. Gesetzb.* tit. 20. §. 856.) Et bavaricae leges supplicium gravius decernunt. (*Strafgesetzb. für das K. Baiern.* §. 147.)

Quibus accedunt doctorum clarissimorum sententiae: propter facilitatem criminis, difficultatem eruendi, eaque ortum maius incitamentum ad flagitium, severius esse puniendum. (*Feuerbachs Lehrb. des peinl. Rechts*, §. 248. *Kleins Grunds. des peinl. Rechts* §. 309.)

77.

Ut veneficium eruatur necessaria est certitudo interemtae per id vitae, vel sanitatis graviter laesae. Namque perinde esse, sive mors sive functionis gravioris laesio a veneno exstiterint, iam codex carolinus perspexit. Patriae leges laesionum statuunt notabilem differentiam: rotae damnant reum, si veneficium rationem homini ademerit, sine spe sanationis (*Pr. Gesetzb.* tit. 20. §. 862.): si alius morbus immedicabilis secutus fuerit, gladii damnant: si morbus sanari potuerit, ergastuli per vitam aut decem annos. (*ib.* §. 865.) Anglicae leges crimen laesarum functionum notabilium, quod barbara voce *Mahemium* (*Mayhem*) vocant, lenius puniunt. (*Blackstone* l. c. p. 200.) Itaque severior

iufto Feuerbachius videtur, qui nullum poenae discrimen ad eventus differentiam ponit. (l. c. §. 247.)

78.

Ut crimen patefcat, neceffaria eft explicatio nexus laefionis et exhibiti veneni. Itaque protinus oportet de veneni praefentia et indole certiores fimus: quod vel maxime e medico publico fcifcitari folent quaefitores. Venenum enim ni fuerit id, quod propinaretur, fi errore innoxium effet, poena extraordinaria irrogetur. (*Böhmer medit. in carol.* art. 130. §. 8. *Kleins Ann.* tom. 4. p. 63.)

Ut veneni fufpicio probetur, aliter utimur corpore delicti; aliter, hac iam probata ad illius demonftrandam vim ac efficientiam. Illic, an ingeftum fuerit, quaeritur; hic, an valuerit ad mortem. Primum autem genus circumfpectiffime tractandum eft, defiderat reliquias veneni, afpectu et odoratu omnibusque chemiae artificiis exploratas, dein fymptomatum et laefionum evidentiam omnemque aliam corporis delicti perfectionem ac abfolutionem.

Difficultates huic fcrutinio femet opponentes haud reticendae funt. Quamvis enim diligentiffime pervestigato corpore occifi, faepe tamen haud invenitur venenum, five quod in intimis partium receffibus

bus latet, ſive quod confuſum cum humoribus, ob volatilem naturam iam emanavit. Rara enim ſunt exempla veſtigiorum adeo manifeſtorum, qualia acidum boruſſicum relinquere ſolet: odor amygdalinus magnopere penetrans, ilico e cadavere efflatus. (*Hufelands Iourn.* vol. 40.) Reliquae nullas ſaepe reliquias ſupereſſe ſinunt. Quod dum contigerit, aut cum aliqua adfuerit ambiguitas, perſpicua rei confeſſio, teſtimoniorum aliarumque rerum momentis illuſtrata et confirmata ſufficit ad eruendum veneficium. (*Metzgers Handb.* §. 210. N. a. 215. *Platner quaeſt. med. for.* 23.) Res enim in cadavere viſae ſaepe a pluribus, maximeque variis cauſſis deducendae ſunt, nec ullum prorſus venenum peculiares quasdam laeſiones conſpicuas relinquit, quin eae ipſae et aliis cauſſis tribui poſſint.

79.

Hac quidem animadverſione ne abutatur ſocordia medicorum ſecantium, qui, rudes a chemiae doctrina, ſcrutinium ſolertiſſime inſtituendum negligunt, quod perficere id neſciunt. Circumſpectionem eam atque curioſiſſimum examen patriae leges maxime imperant, dum, quidquid in ventriculo inventum fuerit, ſi ulteriori ſcrutinio ſubiiciatur, prius ſigillo impreſſo a commutatione cavendum: (*Allg. Criminalrecht für die pr. Staaten* §. 167.) et tres

omnino cavitates corporis excutiendas esse iubent. (*ib.* §. 164. 165.) Superflua tamen capitis exploratio, si, ventriculo pervestigato, iam sufficienter constiterit de corpore delicti: neque danda haec defensori excusatio, a neglecto capitis examine petita, si modo cetera congruunt.

80.

Examen chemicum reliquiarum veneni vel a medico ipso publico vel ab alio artifice, pharmacopola iurato, ad leges artis chemicae instituatur, ut, quaenam fuerit veneni species, eruatur. Nec ullis fidendum criteriis, nisi quae saniore doctrina comprobata sunt. Itaque nec experimenta cum animalibus instituta fidem merentur, cum notissimum sit, bruta animalia longe aliter ferre substantias ac humana corpora. (*pharmacol.* §. 19.)

81.

Ad symptomata omnino refugium patet, ut vel probetur veneni suspicio vel diluatur. Periculosa quaedam quae ilico post ingestum cibum suspectum sequerentur, symptomata; obitus denique, qualis venena ingesta excipere solet, ni certitudinem, probabilitatem saltem efficiunt, veneficium praecessisse. Patriae leges sanciunt: etiamsi cadaver inspici nequiverit, mortem esse veneficii effectum habendum, si,

nulla alia mortis cauſſa praegreſſa, intra octiduum poſt ſuſpectum veneficium homo exſtinctus fuerit. (*Pr. Geſetzb.* tit. 20. §. 859.)

Neque tamen et ſymptomatum explicatio ſine difficultate eſt. Infinita enim prope eſt varietas eorum, quae vel eamdem veneni ſpeciem, ob variam hominum opportunitatem vel alias cauſſas, excipiunt. Quorum ſi nonnulla alia ſunt ac vulgo enumerantur, aut ſi aliquod defuerit, defenſores utuntur paſſim ad excuſandum reum, proinde ac ſi, quae in ſingulis eveniunt, in unoquoque occurrere debeant.

82.

Partitiones venenorum, quas auctores proponunt, prout acria ſunt, vel narcotica, vel vitae vim proxime ſufflaminant, vel exſiccant atque adſtringunt. (*Metzger, Klein.*); cum lucidis doctrinae medicae principiis haud congruunt. Melior ſane diviſio, quam alibi iam (*pathol. gener.* §. 152. f) ſecutus ſum: narcoticorum nimirum, quae hydrogene carbonico praegnantia, azotico forte admixto, irritabilitatem partium ſenſiferarum augent, vi ſenſifera debilitata: quibus contraria ſunt venena animalium ipſumque arſenicum. Ea enim ſubito vim ſenſiferam magnopere augent, energia penitus proſtrata. Alia denique ſunt acria vegetabilia, reſina ſcatentia, aut metallorum oxyda ſalesque, quibus prop-

ter acidum praevalens constringuntur partes aut adroduntur.

Aliis autem iam locis symptomata indicavi, quae varia haec venena excipiunt. (*path. gen.* §. 152. s. *pharmac. innumeris locis.*) Itaque et haec repetere longum foret et taediosum.

83.

Medici publici est, collatis his symptomatibus, quae vel ipse observaverit, vel quae ab aliis animadversa ipsi referuntur, cadaver ipsum inspicere et pervestigare.

Quodsi narcoticis exstinctus fuerit homo, cadaver laxum, tumidum est, colore rubicundius, caloris aliquo gradu superstite, putredine cito accedente, epidermide prius soluta. Ex omnibus partibus sanguis tabumque spumosum putidum promanant, facies inprimis et reliquum corpus exanthemate saepe obtegitur scarlatinam aemulante. Abdomen maxime meteorismo inflatum sphacelum monstrat striis aut maculis variis. Aperto cadavere insignis est sanguinis tenuitas, solutio et nigrescens color: atrocoeruleus etiam cum spissitudine quadam oleum simulante post sumtum acidum borussicum: musculorum, praesertim cordis flacciditas et livor: ventriculus, viscera intestinaque marcida aëre putrido plena, cardia

pylorusque constrictus sphincteresque ani et vesicae resoluti.

Tum examinandae sunt reliquiae in ventriculo intestinoque duodeno stagnantes. Plantae venenatae fructus, folia, dum integra sunt, ilico cognoscuntur. Multo minus, si pulveris exigua copia aut succus vel tinctura sumerentur: quae cum humoribus confusa cito emanarunt. Solent tamen virosum relinquere odorem, e ventriculo surgentem.

84.

Alia venena, animalia, et arsenicum, cadaveris faciem externam sphacelis adficiunt, musculis spasmo rigentibus aut distentis. Apertum cadaver ostendit sphacelum et foramina marcidaque loca in ventriculo, intestinis et visceribus plerisque, constrictis passim ventriculi orificiis, intestinorum locis, sphincteribusque. Interdum tunicae intestinorum aridae, spissae, maculis passim atris consitae sunt. Eaedem maculae cor obsident et pulmones, quae viscera pariter sanguine atro turgent, sphaceloque marcuerunt.

Arsenici tamen minima dosis languorem virium diutinum et maciem adferens (*pharmac.* §. 350.) similes fere effectus ac plumbi oxyda producere consuescit. Cadaveris facies externa macie confecta; membra contracta; musculi instar tendinum stricti;

abdomen planum, tenſum durisque tuberculis prominulis conſitum. Tardiſſime putreſcit, ut et mumiarum ad inſtar rigeſcat. Aperto eo, ventriculi inteſtinorumque varia loca conſtricta, ut nullum fere aditum permittant, rigida aut maculis ſphacelum habentibus, marcidis conſita: meſenterium, pancreas omnesque glandulae tumidae, durae. Paſſim etiam ulcera obvia ſunt.

Acria tandem vegetabilia et metallorum oxyda inflammationes gangraenoſas relinquunt.

85.

Quibus cognitis, tandem examen ſubſtantiarum ſequitur in ventriculo repertarum. Quod praeſente iudice, vel ſcriba ad id delegato, a medico publico vel pharmacopola iurato inſtituendum eſt.

Cum vulgo ad veneficia arſenicum album, vel cobaltum vel auripigmentum adhibeantur, invenimus earum rerum reliquias calci ſimiles, pulverulentas vel grumoſas. Eas prunae candenti cavae impoſitas et accenſas fumum albidum edere ac odorem ſpargere alliaceum obſervamus. Qui odor quanquam et ab aliis rebus naſcitur: hae tamen ſolo adſpectu iam discernuntur

Tum liquor ammonii ſulfurati ad liquorem examinandum adſunditur, quo facto, ſi arſenicum hic

continet, praecipitatur citrino colore: eo praecipitato ſiccato et prunis impoſito odor protinus ſulfureus, dein alliaceus diffunditur.

Aqua calcis e liquore, qui arſenici tantillum habet, album praecipitat. Sed ſecius contingit, dum ſal culinaris adeſt in liquore.

Cuprum ammoniatum e liquore ſimili praecipitatum flavo - vireſcens producit: coeruleum manet, ſi nullum adeſſet arſenicum.

Mangani oxydum atrum cum nitro fuſum, in aqua deſtillata ſolutum, rubro colore inſigne, ilico flaveſcit, ſi vel minima arſenici ſoluti portio additur.

Quodſi vero nullae praeſto ſunt in ventriculi ſuccis reliquiae arſenici, Roſius acido nitri ſuaſit in ipſis ventriculi tunicis id ita detegere, ut ventriculus in fruſta ſectus aqua deſtillata, cui kali cauſticum additur, coquatur. Liquori fuſco, dum coquitur, acidum nitricum paullatim adfunditur, donec flaveſcat et pinguedo animalis ſeceſſerit. Liquor filtratus kali carbonico ſaturatur, iterumque coquitur, ut acidum carbonicum emanet. Tum fluido pellucido flavido additur aqua calcis bulliens, donec praecipitatum naſcatur, quod ſiccatum cum quarta parte carbonis pulverati igni ad candorem uſque imponitur: ſolet arſenicum in excipulo metallico ſplendore

infigniri. Quodfi calx forte retinet partem arfenici, liberatur id, tritum cum aequa portione purifſimi acidi boracici.

86.

Ut plumbum detegatur, liquor fufpectus vel evaporatus, addito carbonum pulvere, igni ad candorem ufque imponitur, ut metallica forma enafcatur: vel liquori ipfi mifcetur liquor ammonii fulfurici, unde atrum exiftit praecipitatum.

Quodfi forte hydrargyri corrofivi fales aut oxyda fuperfunt in liquoribus ventriculi, hi deftillata aqua diluti mifcentur liquore kali carbonici, donec fervere defierit et praecipitatum formari. Id lateritii coloris fufpicionem movet, hydrargyro muriatico corrofivo hominem interfectum fuiffe. Solutio cupri oxydati in liquore ammonii cauftici fufpecto addita fluido, album praecipitatum format, fi idem venenum adeft. Aqua calcis lurido colore id praecipitat. Liquor ammonii fulfurici pari protinus colore, qui dein albefcit, praecipitat idem venenum.

Cupri oxyda vel fales, quibus poft colicos dolores diarrhoeamque mors interdum per inflammationem gangraenofam fequuta eft, deteguntur cupro ammoniacali, quo viridi - coerulea nubes in liquore examinando oritur: aqua calcis viride facit praecipitatum.

87.

Veneficio aequiparandae ſaepius ſunt medicinae periculoſae, draſticae, venenatae, quae vel a medicis ipſis, vel ab agyrtis aut aliis hominibus ingeſtae diiudicantur iuxta principia medica.

Pocula amoris et odii, ſterilitatis etiam, ſuperſtitionem ſapiunt, merito obſoleta, quamvis negari nequeat, medicamentis exaeſtuantibus, draſticis acribusve damna plura inferri poſſe.

Cap. III.

DE AUTOCHIRIA.

88.

Difficillima eſt ſaepius quaeſtio: homo, quem exanimem deprehenderunt, ſibi ipſe mortem conſciverit, an ab aliis interfectus ſit? Namque et ſicarii ſolent, ut eo melius lateant, interemtum ita collocare, eaque arma ſubdere, ut ſuſpicio autochiriae moveatur. Haec ſola quaeſtio a medico publico ſolvenda eſt: quae impulerint cauſſae hominem, ut mortem voluntariam obiret, nonnunquam quaeritur: de quo tamen in capite de mentis morbis tractabitur. Illa tamen quaeſtio eiusmodi eſt, ut et ſine penitiore medica ſcientia interdum expediatur; nonnunquam

vero tot tantisque obruitur tenebris mortis genus, ut, ni e teſtimoniis aliorum lucem acceperit, nullo modo ſolvi poſſit.

89.

Ut haec paullo luculentius pateant, mortis arbitrariae genera vulgaria percurrenda ſunt. In quibus ſuetum fere eſt, laqueo ſemet ſuspendere, quod ab aliis ſine magno reniſu interfecti, eiusque in corpore veſtigiis haud facile fieri poteſt. Quodſi forte interfector, ut facinus lateat, occiſum laqueo ſuspenderit, nec turgor venarum, nec livor faciei, nec interna ſuffocationis ſigna, nec ſugillata e funis vi loca in collo conſpiciuntur: unde poſt mortem, ad obtendendum ſcelus, laqueo collum vinctum fuiſſe ſuſpicio naſcitur.

Si quis ab alio ſtrangulatus fuerit, laquei aut collaris nodos plures, quos repetere occiſus nequiverit in agone repereris, nodos etiam in latere colli, quos facilius in anteriore colli parte conſtrinxerit ipſe. Sed ſimul in actorum commentariis quaeſitandae ſunt rationes.

90.

Aliud mortis genus eſt, quod globo e ſclopeto minori ſibi aliquis conſciverit. Probabilis ſit autochiria, ſi ori immiſſum fuerit ſclopetum, quod ag-

greſſor, invito interficiendo, haud facile fecerit; ſi artem ſclopeta tractandi bene calluerit interfectus; ſi artificiis uſus fuerit ad celandum per aliquod tempus facinus, quod nonnulli, admiſta camfora pulveri pyrio, moliuntur, ne fragor oriatur; ſi digiti etiam pulvere pyrio ambuſti et ſpaſmis contracti deprehendantur.

Contra vero, ſi vulneris ſclopetarii directio ea fuerit, ut eminus globus impulſus eſſe videatur; ſi interfectus infans fuerit aut artem ſclopeta tractandi haud cognoverit; ſi ſclopetum paullo remotius a corpore interemti inventum fuerit; ſi digiti nec contracti nec pulvere pyrio ambuſti aut nigreſcentes videantur; probabile eſt, ab alio interfectum eſſe.

91.

Alia vulnera, cultro vel gladio, mucrone etiam aut aliis ferramentis inflicta magis ambigua ſunt. Novacula colli vaſa maiora praeciſa ſuſpicionem autochiriae movent, ſi haud ſatis profundum fuerit vulnus, ut ſanguinis potius profuſione extinctus fuiſſe videatur; ſi vel in manibus ipſius novacula invenitur, vel plaga a laeva ad dextram directa dextra ipſius manu inflictum fuiſſe apparet; ſi e teſtimoniis patet, ipſum ſibi coëmiſſe novaculam aut alia arma. Simili modo et de aliis aliarum partium vulnerationibus iudicandum, ut ſemper directionem,

magnitudinem plagae, ferramentique molem comparemus.

Quodſi vero arma iuxta confoſſum vel plane non, vel eminus proiecta inveniuntur; ſi vulnus tergum petierit; ſi praeciſio colli ea eſt, ut a dextra ſiniſtram verſus directa eſt: ſi haec omnes propemodum partes colli, ad pharyngem uſque, ſeparaverit; ab alio interemtum eſſe, veroſimile eſt.

Neque tamen haec per ſe certitudinis aliquid habent, niſi teſtimoniis, quae actorum commentarii continent, fulciantur.

92.

Submerſio in aqua, conſulto, an negligentia aut ſcelere alieno conſecuta fuerit, ex inſpectione cadaveris erui fere nequit. Solent quidem ad violentiae externae veſtigia confugere, ut ab alio in aquam eſſe coniectum, iudicent; ſed ea etiam veſtigia lapſus in ſaxa aut impacti in ligna corporis eſſe poſſunt.

Eadem eſt ambiguitas mortis e lapſu aut ſaltu e rupe, tecto aut alia altitudine. Neutiquam e cadaveris inſpectione patet, ſe ipſum coniecerit, an ab alio praecipitatus ſit.

Nec ilico patet, venenum ſponte ſua ſumſerit an ab alio ingeſtum fuerit, ni ex actorum commen-

tariis certa ſit cauſſa mortis voluntariae. Solent tamen ex ingenti veneni portione, ſi praeſertim tetro ſapore gaudeat, colligere, ipſum veneno mortem acceleraſſe. Quodſi ipſe eiusmodi ſubſtantias brevi ante mortem ex officinis emerit, probabile eſt veneficium arbitrarium. Si vim atque ingenium veneni probe cognoviſſe defunctum exploratum eſt; nil repugnat, ſi reliqua congruunt, autochiriam ſupponere.

Cap. IV.

DE ERUENDIS ALIIS MORTIS SPECIEBUS.

93.

Mortis genus, quo homo deceſſerit, eruitur e cadaveris praeprimis perveſtigatione, ſecundum principia anatomiae pathologicae diiudicanda.

Ratione autem pariter ac experientia docemur, eſſe nonnulla morborum mortisque genera, quae ne ullum quidem ſui veſtigium, manibus oculisque in cadavere deprehendendum, relinquunt.

Alia exſtant in cadaveribus phaenomena, quae aegritudinis praegreſſae reliquiae habentur, quanquam potius agonis ſint effectus aut tardioris mortis: iis adnumerandi polypi cordis, ſi mera ſunt

coagula. (*path. gen.* §. 91.) Eo etiam pertinet saepius aqua in pericardio aut ventriculis cerebri stagnans. (*path. spec.* §. 582.)

Denique et id tenendum, conspici nonnunquam in cadaveribus putredinis aut sphaceli vestigia, oedemata etiam, quae post mortem demum orta neutiquam cum morbo praegresso cohaerent.

94.

Itaque cautissime agendum in extispiciis, ut iudicium de mortis genere et morbo praegresso feramus. Falluntur vehementer, qui, obiter inspectis una vel altera vel tribus etiam corporis cavitatibus, absolutam existimant cadaveris pervestigationem. Magnopere saepe interest, interiores encephali recessus, ipsam columnam spinalem medullamque inspicere, ut latens forte caussa mortis vel morbi species eruantur. Nervorum quoque sectio perquam necessaria est, ut velamenta inflammata aut sphacelo correpta in conspectum prodeant.

95.

Earum mortis specierum vulgaris fere est suffocatio, cuius signa in infante recens nato supra (§. 60 — 62.) indicavimus. Eam suffocationem in submersis, strangulatis, et qui mephitidem passi sunt, animadvertimus. Communia sunt signa: sanguinis

turgor in atrio cordis dextro et pulmonibus, pulmones ipsi sanguine livido farcti: vasorum quoque cerebri et sinuum plenitudo: per totum corpus etiam sparsae maculae.

Quae suffocatio si mephiticis vaporibus orta fuit, praeter turgorem vasorum, maxime capitis colli que, diutius post mortem solent cadavera flexilia esse et calida: oculi etiam prominuli per triduum fere splendorem retinent. (*Bichat sur la vie et la mort*, p. 283. 284.) Cordis atrium dextrum et vena cava sanguine fluido quidem sed spumoso turgescunt: atrium dextrum vero ac aorta sanguine inanes sunt. Glottis solet esse aperta, epiglottis erecta, cum irritis aspirandi conatibus intermorerentur.

Submersorum contra corpora brevi post mortem rigescunt; atque vel tota livida sunt vel maculis lividis conspersa; labia subcoerulea; lingua protrusa; spuma ante os, et oculi prominentes. Secto cadavere similia observamus, quae generatim in suffocatis, cum mors ob impeditam aspirationem sanguinisque oxydationem necessario sequatur. Nonnulli, qui diutius in aqua aspirare conati sunt, fistulam spiritalem aqua aut spuma plenam habent, aquam etiam in ventriculo: alii, apoplexia protinus extincti, nil eiusmodi ostendunt, sed generalia suffocationis signa. Fluidum saepius esse sanguinem in

submerſis, obſervatio docuit; (*Walter de apoplexia* §. 36.) quanquam non ubique. (*Rooſe's Beytr. zur öff. und gerichtl. AK.* 1. p. 189.)

96.

Qui fame deceſſerunt, vacuum ventriculum et inteſtina, nonnunquam etiam paſſim adroſa haec viſcera habent; corpus macie confectum; muſculos laxos et attenuatos; vaſa pleraque inania. Unde ſimilia omnino phaenomena adſunt eorum, quae haemorrhagias letales excipere ſolent. (*Kleins Ann.* B. 14. p. 163.)

Denique haud ſuperfluum eſt conſilium, ſi defuncti cadaver in alium locum portari neceſſe fuerit, capulum ſigillo notare, ne defenſori effugium exiſtat, commutatum fuiſſe cadaver.

SECT. III.

SECT. III.

DE IURE SEXUUM.

CAP. I.

DE IURE VIRGINUM.

97.

Verecundiam virginalem violare vetant divinae humanaeque leges. Itaque, virginibus ius ſuum provocantibus, medici publici eſt, virgineum decus vel confirmare in foro vel negare, aut, ubi raptum fuerit, decernere, poſſit id ſine ullo feminae conſenſu fieri. Ea indicia etiamſi difficultates plures habent, e principiis tamen phyſiologiae ſanioris lucem accipiunt.

98.

Virginitatem igitur illaeſam ſtatuimus, cum nullum adeſt veſtigium immiſſi in vaginam membri virilis: pudicitiae autem integritas haud eadem eſt. Venereos enim amplexus paſſa forte eſt; ſeipſam polluere potuit, quae nullum coitus perpetrati veſtigium habet. Haec vero vitia a quaeſtionibus forenſibus aliena ſunt.

Virginitatis ſic intellectae ſigna ſunt: nympharum ſolida ſtrictaque indoles, clitoridis parvitas, hymenis praeſentia, vaginae anguſtia plicarumque et

rugarum multitudo. In quibus hymeni fere princeps teſtimonii locus conceditur, quod illa membrana in primo coitu plerumque laceretur, unde cruoris aliquot guttae effluunt. Columnulae hymeni adiacentes, rupto hoc, magis in conſpectum prodeunt, caruncularum myrtiformium nomine, quas coitus admiſſi certiora ſigna habent. (*phyſ.* §. 512.)

99.

Quae quanquam vulgaria ſunt fideque plerumque digna, haud tamen carent ambiguitate. Etenim certiſſimum quod creditur pudicitiae illaeſae teſtimonium, hymenis integritas, ſupereſſe poteſt poſt coitum primum perpetratum, ſi mentula parva fuerit, virgo autem iuſto laxior aut fluore albo iamdiu vexata. Solet etiam ante menſtrua, et, dum haec fluunt, amplior eſſe aditus, ut et cruentatio, virginitatem prodens, decipere poſſit. Unde, licet rariſſime, etiam poſt partum hymen ſupereſſe poteſt. (*Tolberg de hymenum varietate* p. 14. 15. diſſ. Hal. 1791.)

Occurrunt etiam huius membranae varietates, ut a nativitate inde deficiat (*Heuermanns prakt. Bemerk.* 1. p. 21.), ut criſtatum fere ſit ac carunculis ſimile (*Tolberg* p. 9.), ut plura ſint orificia. (*Oſianders Denkwürd.* vol. 2. p. 30.)

Absque coitu poſſe lacerari, aegrius crediderim, quanquam, quae manu ſtuprum committunt, rumpere illud poſſunt. Sed ſaltu, divaricatis cruribus, findi, ſitus partium fere non permittit. (*Tolberg* p. 3.) Quae prolapſum uteri paſſae ſunt, amittere illam pudicitiae cuſtodiam poſſunt, quanquam in virginibus vix ac ne vix quidem is morbus contingat. A caſu in ferramenta ſcindi hymenem vidit Iörgius: virginitas tamen cognoſci etiam poſtea poterat. (*Taſchenbuch bey geſetzmäſsigen Unterſ. des Weibes*, p. 46.)

Ceterum in ſententiam clarorum virorum, Mercurialis (*var. lect.* lib. 6. c. 25.) et Morgagnii (*adverſ. anat.* 1. p. 40.) abire nihil vetat: poſſe nimirum in virgine per placidum continuatumque impulſum membri virilis membranam, ſi modo laxa fuerit, ſine ulla laceratione, obliterari, ut igitur cruentatio linteorum poſt primum coitum haud certum ſit et perpetuum virginitatis teſtimonium. Quod ni infirmum redderetur artibus meretricum pravis, quae alienum cruorem pro ſuo oſtentant; id tamen experientia conſtat, non primo ſolum coitu, ſed ſecundo etiam et paucis ſequentibus poſſe ſanguinis guttas profundi.

100.

Quodſi ab hymene recedimus, alia ſigna pariter aut magis etiam dubia ſunt. Anguſtia enim va-

ginae longa abſtinentia et adſtringentium uſu ſaepe reſtituitur. Itaque in ſuſpectis examen eſſe poſt baineum tepidum inſtituendum ſuadent.

Clitoris quidem exigua, inter nymphas deliteſcens et praeputio obvelata virginem notat. (*Jörg's Taſchenb. bey geſetzmäſsigen Unterſ. des Weibes*, p. 43.) Sed peculiaris nonnunquam fabrica clitoridem ingentem habet, ut ſupra (§. 27.) iam notavimus.

Debiliora ſunt, quae e mammis petuntur. Quae quamvis ſolidae et duriuſculae eſſe in virgine ſolent, papillis haud prominulis, areaque roſea eas cingente, haec quidem primo coitu haud ita mutantur, quin poſſint diutius etiam in meretrice ſupereſſe. Neque deſunt virgines caſtiſſimae, quarum mammae flaccidae ſunt, propter totius corporis laxitatem, areae circa papillas decolores, praeſertim dum capillis nigris coloreque cutis ſubflavido praeditae ſunt.

101.

Ut verecundiae virginali parcatur, Romanae leges ſanciunt (*Digeſt.* lib. 25. tit. 4. l. 1.) ad inſpiciendum ventrem tres obſtetrices probatae et artis et fidei a Praetore eſſe adhibendas: et Carolinus codex (art. 35.) providas matronas acciri iubet. Cum vero eiusmodi mulieres haud tanta inſtructae eſſe

ſoleant ſcientia, ut de partium genitalium anomaliis iudicare poſſint: conſilium eſt nuperiorum doctorum, medicos potius iuratos et a civitate conſtitutos accerſendos eſſe. Qui ut ſerio et graviter rem ſeriam tractent, neque intempeſtivis ludibriis iocisque virginis caſtitatem offendant, monendi ſunt.

102.

De *ſtupro violento* aut inſcia muliere ſaepius ſermo eſt.

Dicitur autem ſtuprum violentum id, quod iniuſta vi cum muliere haud infami committitur: a quo differt ſtuprum haud voluntarium, quod licet absque vi, tamen et absque conſenſu libero mulieris perpetratur. Quodſi enim femina vel plane ignorat indolem et ſequelas actionum, quas inſtituit; ſi ebria eſt aut nondum nubilis; ſi mente capta eſt, aut forte ſomnambuliſmo correpta, fraude et inſidiis adgreſſoris corrupta; liberi arbitrii expers, ſtupro non voluntario vitiatur. Id variae leges pluresque auctores cum ipſo ſtupro violento unum habent: ſic Codex Iuſtiniani (lib. 9. tit. 13. l. 2.) inquit: „Si ipſi raptores metu, vel atrocitate poenae, „ab huiusmodi facinore ſe temperaverint, nulli mu„lieri, ſive volenti ſive nolenti peccandi locus relin„quetur; quia hoc ipſum *velle* mulierum, ab inſi„diis nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam,

„inducitur. Niſi enim eam ſollicitaverit, niſi odio„ſis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in „tantum dedecus ſeſe prodere."

Neque longe abeſt a ſtupro vi illato ea corruptio honeſtae puellae, quae opio aut aliis id genus pharmacis in eum ſtatum mittitur, quo nec ſui compos eſt nec ſuae ſpontis: unde et Grolmanno adſentiendum eſſe arbitramur, qui facinus id ipſum ſtuprum violentum appellat. (*Grundſätze der Criminalrechtsw.* §. 239.) Vim habent alii compulſivam, quae minitationibus ac terrore puellam debilem adeo percellit, ut, etiamſi magnopere abhorreat crimen, tamen propter aequale forte crimen, quod commiſſurum eſſe adgreſſorem metuit, ſemet ii dedat. (*Feuerbach's Lehrb. des peinl. Rechts* §. 267. *Böhmer ad carol.* art. 119. §. 7.) Hinc et patriae leges tales corruptorum inſidias ergaſtulo damnant et carcere etiam decenni. (*Pr. Geſetzb.* tit. 20. §. 1048 — 1053.) Qui nondum nubilem puellam corruperit, parem poenam ſubit, ac qui ſtuprum commiſerit violentum (*ib.* §. 1054.): quo et mandatum d. 9. Nov. 1815. pertinet. Nec alienae ſunt bavaricae leges, quamvis ſtuprum ſolummodo non voluntarium hoc appellant. (*Strafgeſetzb. für das K. Baiern,* §. 377. 378.)

103.

Stuprum violentum non committitur nisi in femina honesta, seu ea, quae nondum prostituit, aut, si forte olim corrupta esset, vita bene acta restituit famam. (*Klein's Grundf. des peinl. Rechts*, §. 404.) Cum meretricibus stuprum violentum nullum committitur.

Vis adhibita sola sufficere debet ad perficiendum stuprum vere violentum. Manifesto autem sufficit plurium adgressorum vis; sufficit etiam robur hominis fortis in puella nondum adulta. Quodsi vero aequales sunt utriusque, viri et feminae vires; si huius forte superiores; si omnino sui compos est, nec ullo modo consentit; stuprum vere violentum contingere in adulta fere nequit. Itaque et anglicae leges strictiori sensu stuprum violentum sumunt. (*Blackstone's commentar. on the laws of Engl.* B. 4. ch. 15. p. 211.) *)

104.

Huius stupri vere violenti in corpore feminae signa investigare atque testari, a medicis publicis aut obstetricibus etiam iuratis exigitur. Id scrutinium si

*) *Our english law does not entertain quite such sublime ideas of the honour of either sex, as to lay the blame of a mutual fault upon one of the transgressors only.*

protinus ut vitiata eſt, inſtituitur, parum habet difficultatis: namque partium contuſarum, quaſſatarum, laniatarum dolores, tumores, ſanguinis profuſiones abunde teſtantur vim illatam, maxime in puellis nondum adultis. Diutius poſt commiſſum ſcelus paullo plus negotii faceſſit. Sed remanent tamen ſaepe rupturae partium, ingrediendi difficultas, urinae retentio, alvi obſtipatio et diuturna alia mala.

105.

Poſſe concipere feminam violenter ſtupratam, aegerrime conceditur, quanquam haud abnuerim in ſtupro haud voluntario conceptionem contingere poſſe. Etenim perſuaſum habemus, ſine mulieris voluptate conceptionem fieri nequire: illa tamen voluptas coacta eſſe poteſt, ut femina, vel vi, vel inſidiis, vel hauſtibus inebriantibus atque narcoticis eo perducta libidinem omnino denique ſentiat. Quam ſi experta mulier prohibere nequit, quid a puella eorum ſenſuum rudi expectandum? Varietates etiam multas habet is libidinis ſenſus, ut et in lipothymia poſſit minor eſſe atque eiusmodi, ut poſtea femina eius non meminerit. (*Albers in Rooſe's medic. Miſcellen*, p. 129 — 137.)

106.

Conſummatum requirunt leges ſtuprum, quo complectuntur tum intruſionem penis, tum feminis

emiſſionem. (*Feuerbach* l. c. §. 268.) Neque tamen deſunt, qui rectius pudicitiae corruptionem ſolam vimque illatam puniunt, etiamſi ſeminis eiaculatio in muliebres partes non contigerit. Ita carolinus codex crimen honeſtatis virginalis aut matronalis contaminatae irrogat in adgreſſorem (*carol.* art. 119.) et patriae ſummum iudicium in atroci eiusmodi flagitio ſimiliter ſenſit. (*Kleins Annal.* B. 10. p. 197.)

CAP. II.

DE IURE CONIUGUM.

107.

Matrimonium contrahitur, ut coitus legitimus ſit et ſoboles procreetur. Fine igitur fruſtrantur, qui cum coniuge rem veneream celebrare nequeunt aut nullam progeniei ſpem habent. Itaque et impotentia mariti, et uxoris ea indoles, ut vel coitui celebrando vel liberis gignendis impar ſit, matrimonium rumpunt. *) Querelae etiam exiſtunt de nimia alter-

*) „Canonicae leges, ſi ante carnalem copulam impoſſi-„bilitas coëundi deprehenſa fuerit, liberum faciunt „mulieri, alterum virum ſumere." (*Can. quod autem* 27. 9. 2.)

utrius coniugis ſalacitate. Medicorum autem publicorum eſt, cauſſas eas divortii indagare et vel teſtimoniis firmare vel negare.

A. Impotentia virilis.

108.

Primum igitur mariti *impotentiae* arguuntur, aut viri ipſi praetendunt id vitium, ut ſtupri commiſſi ſuſpicionem a ſe devolvant. Eſt autem impotentia duplex: ſive coitum celebrare, ſive liberos gignere prohibet.

Qui coitum celebrare nequit, vel omnino vi ea caret, vel reſpectu duntaxat coniugis, vel ad tempus tantummodo. Haec ultima impotentiae ſpecies, morbo forte aut ſenio producta, matrimonium nunquam ſolvit. Idem de hoc vitio valet, quod de furore coniugis Ulpianus monet: „Quid tam „humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris ma„ritum vel uxorem viri participem eſſe?" (*Digeſt.* lib. 24. tit. 3. l. 22.)

Saepius contingit, ut faſtidio, ira aut aliis cauſſis frigida ſit venus reſpectu mulieris, quae ſatis vegeta eſt, ſi cum concubinis aut puellis res habetur: quod iam et Stoici et Diocles Caryſtius obſervarunt. (*Plutarch. phyſ. philoſ. decret.* 5, 9. 13.)

Vi ea carent penitus, qui vel frigidae ſunt indolis, vel virtutem generandi, ſtupro manibus commiſſo, aut blennorrhoea diuturna, aut medicamentis (camfora praeſertim et coffeae potu nimio) infirmarunt. Deinde huc pertinent vitia organorum ſperma virile generantium: teſtium durities ac deſtructio in ſarcocele, degeneratio in pultem, (*Ehrlichs Beob.* 202.) aut conſumtio ope abſorbentium vaſorum (*Larrey's Denkwürdigk.* p. 167.): herniae ſcrotalis cum caſtratione prava operatio (*Frank's Syſt. der med. Pol.* I. 411.): veſicularum ſeminalium aut ductuum deferentium durities, calculi, paralyſis.

109.

Huc pertinet quaeſtio duplex: an caſtrati nimirum vere impotentes ſint? an impotentes, quorum teſtes in abdomine latent?

Caſtratos Romani Iureconſulti probe diſtinguunt a *ſpadonibus*, hac voce generatim ſumta pro eo vitio, quod generandi facultatem imminuiſſe videtur. Iis etiam adnumerarunt *thlibias* dictos et *thlaſias*, ſeu eos, qui attritu et equitatione, ut Scythae Hippocratis, effeminati ſunt. (*Digeſt.* lib. 50. tit. 16. l. 128.) Hi matrimonium inire, adoptare, poſthumumque heredem ſcribere poterant. (*Digeſt.* lib. 1. tit. 7. l. 2. lib. 25. tit. 3. l. 39. lib. 38. tit. 2. l. 6.) Sed caſtrati ipſi generare non poſſe credebantur:

unde nec matrimonio, nec heredi rogando pares erant.

Plura docuerunt exempla, non folos fpadones fed ipfos etiam caftratos concubitui aptos effe, etiamfi hi foecundare feminam nequeant. Namque pruritum et erectionem patiuntur, five id liquori proftatae, five veficularum feminalium forte vi fecernenti tribuendum fit; unde libidinofae mulieres eunuchorum amplexus amare dicuntur.

Latitantes in abdomine teftes ad coitum etiam foecundum aptitudinem haud impediunt, maxime fi alter tantum delituerit. Eos monorchidas ius romanum nec a militaribus ftipendiis exauctorandos effe cenfuit, quando et Duces Sylla ac Cotta memorantur eo habitu fuiffe naturae. (*Digeft.* lib. 49. tit. 16. l. 4.) Zacchias hominis meminit, dextrum duntaxat teftem habentis, cui tamen duplicata vafa feminalia adiuncta effent. (*Quaeft. med. leg.* lib. 2. tit. 3. qu. 7.) Itaque, fi teftis alter vel uterque in fcroto deficit, tantum abeft, ut inde impotentem hominem declaremus, ut potius ex aliis fignis, capacem aut imparem effe rebus venereis, colligere debeas. Si latent in abdomine, interdum maior etiam vis generandi adeft.

110.

Qui coitui celebrando apti funt, idcirco haud femper impraegnare feminas poffunt. Cuius impo-

tentiae difficillimum eſt ſcrutinium. Namque in orbitate matrimonii explicanda prima eſt quaeſtio, uter coniugum ſterilitatis aut impotentiae arguendus ſit? Uterque forte capax, ſed vel praecipitat alter opus, quod uno eodemque temporis puncto abſolvendum eſt, ſi conceptioni ſtudent; vel penem nimis longum rigidumque maritus ſolet ita adigere, ut liquor prolificus magis verſus latera uteri eiiciatur, (*Thedens neue Bemerk.* 2. p. 264.); vel nimia libidine procax mulier perdit id, quod ſobolem procreaturum eſſe, repetitis coitibus. Haec vero eruere prohibet ſaepe honeſtatis ſenſus.

111.

Solent nonnunquam ſemen ipſum inertiae aut tenuitatis accuſare, quod, etiamſi conceditur, cognoſci tamen nequit.

Id vero haud ſine veritatis ſpecie eſt, ſeminis inertis eiaculationem ſaepe nimis debilem atque propinquam eſſe, ut vel incipientem erectionem ſequatur. Solet id vitium eos infeſtare, qui manibus ſtuprum commiſerunt, aut qui ſaepius noctu polluuntur.

Huc etiam pertinent hypoſpadiei, i. e., ii, qui penem haud rite foratum habent, cuius vitii exempla et Morgagnius (*De ſed. et cauſſ. morb. ep.* 46. 8.) et nos ſupra (§. 26.) attulimus. Quanquam ſper-

mate foecundo non careant, emittere tamen id rite haud facile possunt. Exstant tamen exempla, ubi et his feminae impraegnatae fuerunt. Namque vulgaris membri virilis immissio in vaginam nonnunquam superflua esse ad foecundationem videtur, cum, si modo bene mixtus ac temperatus est is liquor, stimulum quoque in remotiora loca propagare potest. (*phys.* §. 528.)

Hinc brevitas penis fere nunquam per se impotentiam signat: nec ipsa curvitas, quam iam Diocles Carystius cum Stoicis accusarunt (*Plutarch phys. philos. decret.* 5, 9. 13.) quamque ex aneurysmate arteriae pudendae summus Albinus ortam vidit. (*Annot. acad.* lib. 3. c. 5.) Nec phimosis aut paraphimosis per se impotentiam efficiunt, cum ferramantis curanda sint eiusmodi vitia. Nec calculus vesicae, quanquam in coitu dolores saepe producat: nec herniae, nisi testes simul adfecti sint.

112.

Rarae sunt eaeque verae caussae impotentiae urethrae ea coarctatio, ut incrassatae eius tunicae secum fere coelescant, eoque sperma eiiciendum iterum in vesicam reprimant. (*Petit in mem. de l'ac. de chirurg.* 1. 434.) Hanc, blennorrhoeae diuturnae sequelam, alibi iam perstrinximus. (*path. spec.* §. 639.) Ex blennorrhoea quondam superfuit an-

gustia ductuum excretoriorum et *strigosa* indoles vesicularum seminalium. (*Morgagni de sed., et causs. morb.* ep. 44. n. 7.) Alibi (ep. 46. n. 5. 6.) idem clarissimus auctor memorat scirrhum vesicularum seminalium impotentiae caussam.

Paullo frequentior caussa est tumor prostatae, quo ductus excretorii vesicularum seminalium, ipsaeque vesiculae comprimuntur et denique obliterantur; quem effectum nescio an quis Herholdtio melius descripserit. (*Arnemanns Magaz. der Wundarzneyk.* vol. 2. p. 101 — 125.)

115.

Itaque medicus publicus de impotentia virili iudicaturus primum aetatem hominis, vitae genus et morbos praegressos scrutatur, ut inde caussas impotentiae vel verae vel simulatae eruat. Senex enim septuagenarius naturaliter fere haud aptus est ad concubitum, quanquam vegetae senectae atque etiam foecundae plura exstant exempla.

Dein necesse est et physicas caussas et morales, quae huius omnino matrimonii foecunditatem impediunt, investigare. Interrogandi sunt mores utriusque coniugis: examinanda ipsa thori arcana, alter forte praecurrat alterum, an eodem temporis puncto colliquescant.

114.

Uxoris examen si nihil caussarum prodiderit, ad maritum conversus medicus interrogationem impotentiae virilis instituet. Neque eo impudentiae unquam patria iudicia processerunt, ut, gallicorum more, in consessu publico lascivire cum scortis hominem impotentiae accusatum iuberent: neque medicum decet, praeter inspectionem membri virilis, titillatione libidinem suscitare: neque laudandum consilium Wirtembergicorum magistratuum, qui chirurgo suadent cum suspecto in eodem cubiculo iacere, ut, erectionem hic patiatur, interroget. (*Elvert: die Unzulässigkeit ärztlicher Entscheidungen über männliches Vermögen.* Tübing. 1808.)

Post penis testiumque examen, inquirendum est in partium finitimarum indolem; quaerendum, urina intercipiatur, quo facto cathetere aut cereolis explorandae sunt et urethrae et prostatae ipsiusque vesicae indoles: per anum etiam prostatae tumor investigandus.

Nonnullae caussae internae et rarae sunt et abditae. Itaque medicus nequit, nisi probabili coniectura consequi vel impotentiam vel vim generandi.

B. Steri-

B. *Sterilitas feminarum.*

115.

In femina pariter diſtinguenda ſunt concubitus obſtacula, ipſaque invalentia concipiendi. Illa dum adſunt, hanc neceſſario adiunctam habent. Ubi ſterilitas ſine coitus impedimentis adeſt, difficillimum eſt ſcrutinium cauſſarum. Saepius quoque nullo modo erui hae poſſunt.

116.

Obſtaculorum examen ab externis partibus incipiendum eſt. Atreſia vulvae (*path. gen.* §. 102.), ſi duntaxat hymenis craſſitiem inſolitam aut clauſam fere indolem complectitur, nequaquam coitus obſtaculum inſuperabile habenda eſt: quippe vel robuſtiore mentula vel ſcalpello ipſo chirurgi aperiri clauſtrum id poteſt. Intereſt ſcire, menſtrua fluxerint: quod dum factum eſt, ſpem concipimus, arctam aditus indolem vinci poſſe. Quodſi vero nunquam ſanguinis curſus menſtruus reſponderit, ſi ne minimum quidem aditus foramen animadvertitur; metuenda eſt prava conformatio partium internarum.

Huc pertinet maxime confluxus inteſtini recti cum vagina, in caſu a Burnſio Glasgoenſi obſer-

vato (*Edinb. med. and surg. iourn.* 1805. *Apr.* p. 137.) et maxime memorabilis idem coalitus, licet intestinum rectum insuper peculiari ore patesceret. (*Huxham. opp.* vol. 3. p. 8. s.) Conceptionem quidem haud impediverat id vitium, sed, cum vaginae orificium paullo infra umbilicum esset, cum supra id intestina confluerent, taedium ingens inde marito infestum esse debuit.

Saepius idem vitium ex fistula ani aut ulceribus uteri vaginaeque existere visum est. (*Störk ann. med.* 2. p. 204. *Stockhausen diss. de aedoeopsophia.* Hal. 1795.)

117.

Vaginae sola strictura, etiamsi arctissima fuerit, per se coitus obstaculum haud est insuperabile. Etenim quamvis penis adigi altius nequeat, foecundatio tamen contingere potest: ipsaeque angustiae interdum in partu egregie dilatantur. (*Hist. de l'ac. de Paris*, 1712. p. 48. 1748. p. 83.)

Quodsi vero cum arctissima vagina nec uterus nec ovaria evoluta sunt, vitium id in viva femina, nisi e coitus fastidio, haud cognoscendum, amplexus venereos quidem haud impedit, conceptioni vero prorsus adversarium est. (*Morgagni de sed. et causs. morb. ep.* 46. n. 21.) Nonnunquam cum

parvitate partium externarum arctiſſimoque aut nullo ad vaginam aditu nullus adeſt uterus; cuius rei memorabilem caſum refert Thedenius (*neue Bemerk.* 2. p. 265.). Matrimonio luſibusque venereis apta erat mulier, neque ſine libidine: ſed conceptionem nunquam contigiſſe nemo mirabitur.

118.

Sunt in vagina vitia, quae coitum minus gratum aut faſtidioſum faciunt, adeoque ni foecunditati obſint, contraria tamen ſunt mutuae vòluptati, in coniugio quaeſitae.

Satis vulgaris eſt leucorrhoeae muliebris foeditas, qua non modo ipſae partes muliebres laxantur nimis, roduntur ac excoriantur, ſed mentula ipſa infeſtatur. Huc pertinent ulcera vaginae; haemorrhoïdes ad eam partem converſae, quibus varices dolorem cientes efficiuntur; hernia vaginae; prolapſus eius et uteri; inverſio et retroverſio.

119.

Iam altiora ſunt impedimenta indaganda: nunquam exploratio ipſa omittenda, quam iam Hippocratici auctores ſuadent. (*Hipp. de ſteril.* p. 676.) Vulgatiſſimum eſt ovariorum id vitium, quod in hydatidoſa aut alia degeneratione verſatur; cognoſ-

cendum e ſignis alibi enumeratis. (*path. ſpec.* §. 603. 604.) Uterus conflictatur interdum polypis, ſarcomate aut carcinomate: quae cauſſae ſterilitatis Eraſiſtrato iam innotuerunt. (*Plutarch. phyſ. philoſ. decr.* 5, 9.) Tubae denique Fallopianae accuſandae ſunt, dum concretae cum ovariis aut imperviae ſunt. (*Morgagni de ſed. et cauſſ. morb.* ep. 26. n. 13. ep. 45. n. 23—26.)

Quae vitia ut in viva aegerrime cognoſcuntur, ita foecundationi impedimenta opponunt inſuperabilia, coitui non item.

120.

Dum nullum eorum obſtaculorum probabile habemus, ſaepe tota feminae conſtitutio arguenda eſt. Nimis tenera, ad nervorum distentiones prona diſpoſitio conturbat in concubitu ipſo omnem nervorum compagem, ut nulla ſequatur conceptio. Nimia veneris frequentia, ut in proſtibulis accidit, ſterilitatem producit, quod oeſtrus repetitus turgorem ſanguinis in ovariis tubisque continuum adeoque faciliorem efficit coalitum.

Maxime vero et in muliebri corpore circumſpicienda eſt ratio partium ad mariti partes, cum, quae ſterilis eſſet in priori, ſatis foecunda interdum ſit in poſteriori coniugio.

Cap. III.

DE ERUENDA GRAVIDITATE.

121.

Artis peritorum ſcrutinium exigitur vel in occultata graviditate puellarum vitiatarum, vel in ſimulata etiam impraegnatione ſcortorum, viduarum aut mulierum capitis damnatarum, quae ſupplicium prolataturae ſunt.

Occulere ſolent graviditatem, quae e lapſu virginitatis ignominiam metuunt, labe quadam ac macula non ſe ſolas ſed totam familiam adficientem. Earum forte rerum rudes non deſperant, vel abortionem ſe paſſuras, vel clandeſtinum etiam partum edituras eſſe. Aliae plane neſciunt, amorum illicitorum eos eſſe fructus, aut ſe ex unico forte coitu concepiſſe. (§. 57.)

Occultatio graviditatis ut vitetur, leges patriae ſtudioſe ſanxerunt. (*Pr. Geſetzb.* tit. 20. §. 889.) Plectunt etiam inficiationem (ib. §. 933): neque tamen per ſe hanc diſſimulationem mulctandam eſſe, doctores concedunt. (*Kleins Grundſätze des peinl. Rechts*, §. 351. *Kleins Archiv des Criminalr.* vol. 6. P. 2. p. 63.) Imputatur tamen, cum conamen infantem occidendi adiunctum eſt, aut culpa matris graviditatem negantis fetus perit.

122.

Impraegnationis praegreſſae ſigna primis menſibus ambigua ſunt.

Neceſſaria tamen eſt primo partium genitalium examen. Nymphae internae primis menſibus turgidiores eſſe et rubicundiores conſueſcunt: in media graviditate et hae et externae laxiores ſunt: iterum magis turgeſcunt verſus finem: nonnunquam varices adſunt et aquoſi tumores. Hymen ſi ſupereſt, impraegnationem valde dubiam reddit. Vagina ſolet ad tertium aut quartum uſque menſem brevior, plicisque haud exiguis, prolapſum nonnunquam mentientibus inſignis eſſe. Poſt quartum menſem, dum uterus magis aſcendit (*phyſ.* §. 545.), vagina in longitudinem magis panſa plicas amittit; niſi laxior iuſto fabrica eas retinuerit. Eſt etiam vagina gravidae magis lubrica, muco nonnunquam adeo abundans, proinde ac ſi leucorrhoeam pateretur.

Tum uterus ipſe ſtudioſe perveſtigandus eſt, ſtante femina atque iacente; interna exploratione cum externa comparata. In primis graviditatis menſibus cervix uteri paullo propior eſt vaginae, orificium profundiorem habet ſitum, quem tamen et in virginibus, quibus menſes intercepti ſunt, nonnunquam obtinet. (*phyſ.* §. 542.) In primiparis orificii facies, quae antea rimam transverſa-

lem ſiſtebat, iam oſtiolum lenticulare ſubrotundum repraeſentat: ſed, ſi iam pluries pepererint, orificium infundibuli ſpeciem exhibet, ambitu ſaleb oſo: verſus medium geſtationis tempus laevam magis ſpectat: labium utrumque ſibi indies magis aequale ſit. Cervix uteri ad mediam uſque graviditatem turgidior atque mollior eſt, magisque conica fit. Cum iam fetus etiam motus tangantur, diagnoſis facilior eſt et certior a media inde geſtatione. Orificium magis aſcendit, plane ſubrotundum eſt, ni praegreſſis partibus plus minusve laceratum fuerit. In his etiam quandoque ſponte ſua aperitur, ut digiti apice poſſis ovi membranam externam attingere. Iam per uteri parietes magis attenuatos atque calidiores infans eiusque partes tactu explorantur. (*phyſ.* §. 546.)

123.

Dein ad mammas veniendum eſt, utpote quarum indoles uteri mutationes ſequi ſolet. Primis menſibus difficillimum eſt ſcrutinium, maxime ſi prius eas nondum exploraveris. Solent tamen leves ſentire punctiones: turgeſcere incipiunt mammae, papillae magis prominere, area etiam ſaturius rubere. A vigeſima inde hebdomade feroſus liquor ſecernitur, cuius veſtigia interdum in induſiis repereris, aut quem facile expreſſeris. (*phyſ.*

§. 544.) Vaſa interdum ſecernentia turgida manifeſto conſpiciuntur.

His accedunt indicia ex abdominis ambitu petenda. Primis menſibus regio hypogaſtrica tantum abeſt ut intumeſcat, ut potius, utero magis deſcendente, collapſa aut contracta videatur. A tertio inde aut quarto menſe abdomen intenſius turgidum uterum gravidum iam tangendum offert. Is tumor increſcit, ut ſeptimo etiam menſe paullo ſupra umbilicum fundum uteri deprehenderis. Fovea umbilici magis obliteratur, ut tandem colliculum repraeſentet, regio epigaſtrica etiam et praecordia magis promineant. Tandem menſe decimo medio uterus depreſſus praecordia libera mittit, tumor imam abdominis regionem occupat. Ei tumori, cum et ab hydropica colluvie et ab aliis cauſſis exiſtere poſſit, nunquam nimis fidendum: ſed curioſe comparandae ſunt orificii uterini mammarumque mutationes.

124.

Denique exploranda reliqua impraegnationis indicia. Menſtruorum ſuppreſſio vulgatiſſima eſt: ideoque ſtudioſe interroganda eſt femina, quonam tempore ab eo ſanguinis curſu primum defecta ſit: quanquam haud pauca exſtent exempla eius curſus

per totam geſtationem pergentis aut nonniſi in gravidis obvii.

In iis, quae primum geſtant fetum, ventriculus mox poſt menſtruorum interceptionem turbatur; faſtidiunt carnes; ieiunae vomituriunt; appetunt ſaepe inſueta. Nervorum organicorum ſenſus perturbatur, unde iracundiores, triſtiores etiam evadunt. Accedunt poſt mediam graviditatem incommoda ex uteri tumidi preſſione in vicinas partes: laſſitudo, ingreſſus difficilis, interdum et varices et oedemata pedum: decubitus moleſtus: ſpirandi difficultas: urina intercepta aut, verſus finem inprimis, frequens micturitio. (*phyſ.* §. 546.)

125.

Quae indicia omnia ſimul ſumta graviditatem quidem certiſſimam reddunt. Primis tamen menſibus ambiguum ſemper eſt iudicium, etiamſi ex ipſa uteri exploratione petatur. Itaque differenda eſt ſcrutinii repetitio in quartum aut quintum menſem, ut cum mutatione orificii atque cervicis motus ſimul infantis deprehendas.

Signa hydropis uterum infeſtantis (*path. ſpec.* §. 599.) probe diſtinguenda ſunt a graviditate, quam interdum is morbus mentitur.

Cap. IV.

DE PROBANDO PUERPERIO PRAEGRESSO.

126.

Saepe oritur quaeſtio de partu praegreſſo, quam partim iam ſupra (§. 32.) tractavimus. Facilius ea ſolvitur, quo recentior eſt femina a partu: difficillime, ſi temporis ſpatio longo interpoſito examen inſtituitur.

Protinus ut femina peperit, lochia effluunt, qui ſanguinis fluxus per ſedecim aut viginti etiam dies continuans peculiarem ſpirat odorem, quem et ſudores puerperae diffundunt. Is indicium praebet haud ſpernendum. Nymphae ſolent eſſe tumidae, nonnunquam excoriatae aut vulneratae aut varicibus obſeſſae. Perinaei menſura et veſtigia lacerationum adiuvant examen. Clitoris etiam, ſi diutius caput infantis premeret pelvis exitum, adeo turget ſanguine, ut plicae ſuperſint. Vagina inſigniter panſa eſt, laxa, plicis deſtituta, ſanguinem lochiorum ſtillat. Uteri orificium magis verſus os ſacrum ſpectans, paullulum apertum, rimae formam ſenſim adipiſcitur: labiis vel laceratis vel alio modo a virginea forma recedentibus. Cervix uteri calidior eſt, turgidior, violentiae, quam paſſa eſſet, veſtigia retinet. Uteri ipſius moles per triginta dies maior eſt quam

in iis, qui nondum pepererunt: dein ad priſtinam parvitatem redit.

Pelvim etiam metiri conſilii eſt. Cuius forma ſi cetero normalis, menſura in promtu eſt, aberrationes igitur facilius deteguntur. Oſſis coccygis mobilitas exploranda, quae brevi poſt partum adeſſe ſolet. Idem valet de ligamentis ſacro - tuberoſis et ſacro - ſpinoſis facile cedentibus.

Tum abdomen inſpiciendum et contrectandum. Si laxa ſunt integumenta, ſi rugas contraxerunt, accedentibus reliquis indiciis certioribus, partum praegreſſum perſuaſum habemus.

Ad mammas veniendum eſt. Quae ſi turgent atque dureſcunt, glandulis ſimul axillaribus tumentibus, ſi vaſa turgeſcunt, ſi lac effluit e preſſis papillis prominulis; dubium nullum supereſt, feminam peperiſſe.

Simul denique in aegritudinis genus, qua mulier laborat, inquirendum eſt. Quod ſi alienum ſingitur ab eo ſtatu, ſtudioſum inſtituendum eſt ſcrutinium, quod fallere nequit, ſi genitalia rite indagaveris.

127.

Quodſi diutius iam, ante plures nimirum ſeptimanas, imo menſes, partus contigerit, multo difficilius ſit indicium. Violatam quidem eſſe feminam ex hymenis abſentia cognoſcimus, rariſſimis exceptionibus. (§. 99.) Uterus tamen in priſtinam molem contractus, vagina arctata plicaeque reſtitutae ſaepiſſime perturbant iudicium. Abdominis rugae nonnunquam deſunt poſt primum partum, aut in femina, quae abdomine naturaliter turgido gaudet. Itaque ſuſpendenda eſt ſententia.

SECT. IV.

DE IURE AEGROTORUM.

CAP. I.

DE MORBIS SIMULATIS.

128.

Qui morbum ſimulant, vel miſericordiam ciere, vel hominum animos advertere vel etiam eximi a ſtipendiis militaribus cupiunt aut aliis oneribus publicis a poenis etiam vel capitalibus, vel ergaſtulo. Magiſtratuum iuſſu medicus publicus igitur diagnoſin morborum adhibet, ut fraudem detegat.

Quod officium quantas ſaepe habeat difficultates, brevibus dici vix poteſt. Vafrities enim tanta interdum eſt nequiſſimorum hominum, ut artibus pravis etiam providum medicum circumveniant. Teſtimonio ſit puella gueſtphalica, quae, inedia ſexenni fere ficta, decepit ante hos ſeptemdecim annos non paganos ſolum, ſed cultos etiam homines. (*Vezin in Kleins Archiv des Criminalr.* vol. 3. P. 2. p. 120.)

129.

Facillime ſimulantur morbi, quorum ſigna neceſſaria et pathognomonica, quod haud ſub ſenſus medici cadunt, examen eius eſſugiunt. Namque ſi dolores, ſenſuum defectus aut mentis etiam morbi finguntur, pathognomonica earum aegritudinum ſigna medici examen haud admittunt. Sed alia, et ἐπιγενόμενα quidem phaenomena lucem eam miniſtrant, quam ex ipſis pathognomonicis fruſtra exſpectaveris. Saepe quoque experimenta neceſſaria inſunt, a quibus, inſcio plane homine ſuſpecto, inſtitutis, ni et vaferrimus fuerit et ipſa doctrina medica imbutus, ſibi cavere plane nequit.

130.

Dolores igitur primum, quamvis ſenſus organici adfectiones, queſtu quidem aegroti protinus cognoſcuntur. Sed medicus fraudem dispulſurus circumſpiciat ſequelas atque effectus dolorum atrociorum, tum in vaſorum ſyſtemate, tum in aliis functionibus. Cum vehementiſſimus quisque dolor pulſum concitare ſoleat, functionesque ſenſuum, praeſertim internorum turbare, fraudem ſuſpicamur, dum pulſus placidiſſimus eſt ſomnusque quietus. Dolores a calculis veſicae derivati ficti ſunt, ſi urinae fluxus nullo modo interceptus eſt,

neque is humor alienus a ſana eſt indole. Colici dolores ficti ſunt, ſi alvus naturaliter redditur, neque quod expellitur, a naturali ſtatu recedit; ſi ciborum appetentia et digeſtio haud turbantur.

131.

Senſuum defectus vel faciliores ſunt exploratu vel difficiliores. Coecitas haud facile fallere medicum poteſt, cum, ſi vera adfuerit, vel organica vitia adſint, vel nervus opticus ita adfectus ſit, ut pupilla etiam haud moveatur. Surditas vero, cum organa auditus ſenſus fugiant, a callidis hominibus hactenus ſimulatur, ut vel prudentes etiam medici decipiantur. Neceſſe eſt, aut eos improviſo terrore percellere aut iis ſuggerere, quae haud expectato gaudio moeſtitiave conturbatura ſunt.

Solent milites ſegnes, qui militiam in agmine et proelia paveſcunt, reſolutos fingere pedes. Hos adoriuntur medici caſtrenſes aſae foetidae cum arnicae floribus infuſo, methodo nauſeam continuam excitante et moxa. Quam curationem adeo abhorrent, ut agmen potius ſequantur.

Lipothymiae et ſyncoptici adfectus ſolent et faciei habitum deturpare et pulſum vel plane intercipere vel exiguum reddere atque irregularem.

Quodſi igitur, qui ſyncopen ſingit, ſueto faciei rubore pulſuque gaudet naturali; ſi praeſertim, protinus ut haud exſpectata narrantur, percellitur, perſuaſum habemus, fraudulenter ſimulari adfectionem. Et in his et in ſoporoſis aut aliis adfectibus utiliter ſaepe ingrata adhibentur incitamenta: emplaſtra veſicatoria, electricae ſcintillae e lagena miſſae, moxa, radix armoraciae tuſa. Candens tamen ferrum admovere crudelius iuſto eſt.

132.

Epilepſia ſolet non raro praetendi. Et licet nervorum distentiones mirae ſimulentur, haud poteſt tamen impoſtor abſentiam ſingere conſcientiae aut ſenſuum abolitionem. Itaque ſi teterrime convulſus acus tamen aut moxam ſentit, ſi oculos habet perpetuo clauſos, nec immobilem pupillam, ſi errhinis nares moventur, ſuſpicio naſcitur, ſictam eſſe aegritudinem.

Similiter iudicandum de aliis id genus convulſionibus.

133.

Si ſanguinis forte aliorumve humorum profuſiones ſinguntur, virium ratio illaeſa poſt longiorem

fluxuum

fluxuum moram fraudem revelat. Solent enim peregrinum cruorem ſubdere ac pro ſuo vendere.

Qui plebis ſuperſtitionem, egeſtis acubus aut aliis rebus plane peregrinis, aut ficta daemonis cohabitatione decipiunt, medicos rationis ſuae recte compotes fallere nequeunt. Daemoniaci vel impoſtores ſunt vel melancholici.

Cap. II.

DE MORBIS DISSIMULATIS.

134.

Diſſimulantur morbi, tum ob infamiam eorum, tum ut matrimonium contrahatur, emolumentaque obtineantur. In qua diſſimulatione plurimum ſaepius dandum inſcitiae aut negligentiae, multum tamen et nequitiae tribuendum et calliditati.

Medici publici eſt, ſi forte ob ſolvendum matrimonium vel alias cauſſas ſuſpicio de morbo diſſimulato naſcitur, omnia ſigna aegritudinis etiam occultae noſcere eaque in homine ſuſpecto ita inveſtigare, ut nec a repetitione examinis nec ab experimentis abſtineat, veritatis gratia eruendae.

135.

Eorum morborum frequentiſſimus fere eſt ſyphilis, cuius variae formae hactenus ſaepe latent, ut ſagacitatem exigant ſingularem.

Generatim quidem falluntur, qui vel a diuturna mora et pervicacia ſymptomatum, vel ex hydrargyri uſu, ſigna ſyphilidis petunt.

136.

Prodroma ſyphilidis ſymptomata in viris, etiamſi quandoque disſimulentur, obvia tamen ceteris ſunt. Ardores inter mingendum vehementes et erectio penis frequens notas ſiſtunt, quibus facile blennorrhoea virulenta ab aliis, ſcrofuloſa nimirum, arthritica aut aliis discernitur. (*path. ſpec.* §. 637.) Curationis genus minoris eſt momenti; ſiquidem, Schwediauero teſte (*von der Luſtſ.* 1. p. 67.), et blennorrhoeae virulentae ſponte ſua naturaeque ope conſaneſcere poſſunt, et in aliis eiusmodi fluxibus ſimilia ſaepe requiruntur remedia ac in ſyphilitica.

Difficilius iudicium eſt de blennorrhoea ſecundaria, ortane ſit ex infectione praegreſſa an e cauſſis debilitantibus. Quodſi membrum virile ſemper eſt flaccidum, ſi nunquam erigitur, ſi liquor

effluens albumini ſimilis titillationis ſenſum ſolum in exitu urethrae efficit, nullum vero ardorem, ſi nulli adſunt dolores partium vicinarum, poteſt inſons eſſe, quanquam et hic non raro praegreſſas blennorrhoeas primarias virulentas ſequatur.

Quodſi vero dolores aut punctiones in perinaeo ſentiuntur, maxime dum mingitur, aut dum equo curruque vehitur aeger, aut dum coitum celebrat; ſi liquor emanans gravem ſpirat odorem; ſi effluxus cum ſenſu fervidae aquae ex bulbo profluentis iunctus eſt; ſi mictus intercipitur, nec tamen cathetere obſtaculum in urethra ipſa ſed in collo veſicae deprehenditur, metus eſt, proſtatae tumorem (*path. ſpec.* §. 640.), blennorrhoeae virulentae vix non ſemper poſthumum, accuſandum eſſe. Exploratio certior fit digito per anum immiſſo.

Si blennorrhoea ſecundaria humorem eliminat purulentum, ſi dolores adſunt in urethra pulſantes aut rodentes, cereolo et cathetere exaſperati, dubitari fere nequit, eam ulcuſculis ſyphiliticis urethrae ortum debere.

137.

In mulieribus multo magis ardua eſt ſyphiliticae et inſontis blennorrhoeae diviſio. Namque nec

acrimonia, nec foetor laticis effluentis, nec dolores ardentes aut adrofiones partium, nec menftruorum fluxus pergens, nec quod noctu ceffet, infontem a fyphilitica blennorrhoea muliebri distinguere poffunt. (*path. fpec.* §. 436.) Itaque ni acceffe-rit confeffio mulieris, ni ulcufcula femet adiungant, quorum fyphiliticam indolem haud facile ignoraveris, ambiguum femper manet iudicium.

138.

Ulcerum venereorum facilis eft diagnofis. Orae durae et callofae, fundus lardaceus, fanies effufa, quaqua fluit, fimilia ulcufcula et excoriationes deftructis partibus producens, optime dilucidant naturam eorum ulcerum. Idem valet et de carie ac exoftofibus, fi modo in ulcera manifefta transeunt. (*path. fpec.* §. 641.)

139.

Exanthematum, ut ingens eft varietas, ita iudicium difficillimum; ni omnem omnino decurfum, modum eruptionis et fymptomata comitantia rite indagaveris.

Lichenes, leprae, pforiafes fyphiliticae, faciem protinus occupantes, faturiorem habent colo-

rem, magis fuſcum: calore emendantur, frigore magis gliſcunt. Abeunt in ulcera, quorum ingenium ſyphiliticum manifeſtum eſt. Intertrigo perinaei et ani cruſtas gignit albidas, quales in angina ſyphilitica exiſtunt. Maxime vero in aliis exanthematibus diuturnis monendum, ſi variant cum doloribus oſſium et tumoribus duris, infectionem ſyphiliticam ſuſpici debere.

140.

Impetigo, ſcabies, pityriaſis, porrigo, foedaque alia exanthemata, quamvis ſaepius diſſimulentur, haud diu tamen latere poſſunt. Repulſa forte aut ſiccata, ut deliteſcant, damna plurima corpori inferunt.

Cap. III.

DE MENTIS AEGRITUDINIBUS.

141.

Quaeſtiones de ſanitate mentis in foro ſaepiſſime occurrunt, tum ut de libero arbitrio conſtet, tum ut facultas peculium adminiſtrandi eruatur, tum denique ut veniam amentiae reus impetret.

Eas quaeſtiones ſolvendas medico publico iudex proponit, quia ad nullum alium civem auctoritate publica imbutum demandari id poteſt officium, tum etiam quia adeo arcte iunctum eſt animi examen cum corporis inveſtigatione, ut idoneum videatur medici publici munus, animi morbis eruendis.

Magnopere tamen optandum eſſet, medici publici maiore gauderent animi ſcientia, quam ſibi comparaturi ſunt proprio potius ſtudio quam in ſcholis metaphyſicis.

142.

Mentis autem aegritudines, quas iam alibi (*path. gen.* §. 287. *path. ſpec.* §. 555.) perſtrinximus, id omnes commune habent, ut plenam ſui

conſcientiam tollant atque libertatem. Itaque minores adſunt gradus, quos neutri ſtatui adſcripſeris, fluctuanti, ut diximus (*path. ſpec.* §. 554.), conſcientiae tribuendi aut libertati neque plenae, neque prorſus abolitae. Dicimus (*path. gen.* §. 163.) animi perturbationes propiores eſſe ab ea impotentia: quam tamen cum lubitu ſuo incurrat homo, haudquaquam neceſſariam eſſe, neque aegritudinibus adnumerandam, patet.

Par eſt ebrietatis ratio, quae, quanquam conſcientiam tollit et libertatem, ſponte tamen contrahitur, ni forte occulto potionis vitio ebrietas acciderit. Itaque vulgo amentiae veniam ebrius haud obtinet, etiamſi quandoque abſque omni culpa in id vitium incurrat.

143.

Leges pleraeque nec crimen imputandum eſſe mente captis nec hominum ratione praeditorum iuribus gaudere poſſe ſtatuunt. Sic iam romanae leges (*Digeſt.* lib. 9. tit. 2. l. 5. §. 2.) „Quaerimus, „ſi furioſus damnum dederit, an legis Aquiliae actio „ſit? Et Pegaſus negavit: Quae enim in eo culpa ſit, cum ſuae mentis non ſit? Et hoc eſt veriſſi„mum. Ceſſabit igitur Aquilia actio, quemad„modum ſi quadrupes damnum dederit.“ Ita co-

dex carolinus (*art.* 179.) mitigandam cenſet eſſe poenam, ſi ſenſuum ſuorum compos non fuerit reus (*jemandt, der wiſſentlich ſeiner ſinn nit hett*), ubi ad doctrinae peritos confugiendum eſſe iubet, qui animi ſtatum explorent. Simillimo modo et patriae leges ſanciunt (*allg. Criminalrecht für pr. Staat.* 1. §. 280.); medicos publicos decere iudicium de mentis alienationibus: et alibi (§. 356.): mente captos et imbecilles (*Verrückte und Blödſinnige*) teſtes quidem eſſe non poſſe: interrogandos tamen eſſe in lucidis intervallis, quamvis circumſpectiſſime.

144.

In quibus quidem legibus id animadvertendum eſſe arbitror, haud idoneo acumine diſtingui varias mentis alienationes gradusque eorum, quibus libertas et conſcientia vel parum, vel magis, vel prorſus tollitur. In ea autem differentia neceſſe eſt fuſiorem eſſe, priusquam ſpontis ſuae eſſe hominem iudicaveris. Etenim limites variorum errorum, fallaciarum, vitiorum ipſarumque aegritudinum tales ſunt, quales haud facile, ſine interiori ſaltem examine, definiveris.

145.

Itaque primum de adynamia mentis (*path. ſpec.* §. 555.) ſermo habendus eſt: quam et *fatui-*

tatem et *imbecillitatem* animi et *ſtupiditatem* vocant. Intercedit tamen et hic diſcrimen aliquod haud parvi momenti, ipſo verborum ſignificatu vindicandum.

Stupidum dicimus (*dumm*) hominem tarditate ingenii in adſequendo intelligendoque laborantem, qui attentione caret acriore, quanquam eam intendere quidem, ſi modo velit, in aliquam rem poſſit. Saepe igitur, licet tarde et haud ſine negotio, recte iudicat: ſed cum extendere attendendi vim haud facile poſſit, in unam rem intentus, inconſideranter agit; incogitantiae et temeritatis puerilis fere ſemper arguendus. Itaque, ſi delictorum accuſatur, culpa nunquam vacuus eſt, neque excuſari poteſt, niſi vera adſit fatuitas. Quoad civile ius, peculium adminiſtrare valet, teſtari in rebus, quae mentis vires haud ſuperant, teſtamentum denique facere.

Fatuitas vero ac imbecillitas animi in iudicii omnis atque ſenſus communis defectu verſatur, unde impubibus adnumerantur. (*Allg. pr. Landr.* tit. 1. §. 29.) Quanquam ſenſibus ſaepe vigeant, memoria etiam ſatis tenaces ſint, rationis vis tamen nulla eſt in regendis adfectibus: hinc iracundia excandeſcentes ſaepe furunt; neque errore liberari aut ad ſe redire perſuaſi poſſunt: cum liber-

tate plane careant. Haud irritati vero ſolent valde quieti, taciturni eſſe ac meticuloſi; ſemper cunctari et haeſitare; neque unquam prudentiam ſibi adrogare, quamadmodum ſtupidi ſaepe faciunt.

Delicta ipſis haud imputantur: quamquam, ſi aliis damnum intulerunt, mulctatio ſit bonorum atque pecuniae: ſi graviſſima commiſerunt facinora, ergaſtulis aut cuſtodiis aliis coërcentur, neque capite unquam damnari poſſunt. (*Allg. pr. Landr.* tit. 6. §. 41.) Memorabile eſt, incendia pleraque inferri a fatuis et impuberibus. (*Kleins Annal.* vol. 3. p. 7.)

146.

Medici eſt, in mentis imbecillitatem inquiſituri, examen ita inſtituere, ut homo ante neque admonitus ſit neque paratus. Cum enim interrogationem paveſcant, ſaepe eo maiorem oſtendunt fatuitatem, quo magis nituntur eam occulere. Itaque ſimulet quaeſitor, ſe forte fortuna iis occurrere, ut ſermones cum ipſis habeat, quibus detegere vel diluere animi invalentiam poſſit. (*Pyl's Beytr. Samml.* 8. p. 255. f.) Interrogatio incipiat neceſſe eſt ab obviis maxime et trivialibus rebus, in quibus ſi iudicium nullum manifeſtatur, exploratam

habemus mentis imbecillitatem. Dein ſedulo inquirendum eſt, ab infantia inde, vel morbo nata ſit fatuitas, an denique per circuitus recurrat. (*Pyl's Beytr. Samml.* 8. p. 236.) Denique in corporis ſtatum penetrandum eſt, qui ſaepe comitari fatuitatem ſolet: vitanda tamen fallacia ſenſuum linguaeque: tarda enim ac impedita loquela, auditus etiam difficillimus ſuſpicionem movent fatuitatis, quae tamen nulla nonnunquam eſt. Vultus etiam imponere poteſt, cui fidendum non eſt, niſi reliqua congruant.

147.

Ad *inſaniam* venimus, quam diximus (*path. ſpec.* §. 555.) id animi vitium, quo imagines phantaſiae pro veris ſenſuum impulſibus habentur, unde ſublata imaginationis ſenſuumque ratio accuſanda eſt. Duplex igitur eius alienationis genus eſt: alterum ex ſenſuum hebetudine, alterum ex imaginatione vehementer intenta obortum.

Quodſi ſenſuum torpor inſaniam producit, ebrietatis exemplo et ſomniorum, nulla plane conſcientia clara adeſſe ſolet: commutant nonnunquam homines, neque ſe unicam eſſe perſonam eamdemque clare cognoſcunt. Imagines, quae

phantaſia excitat, haudquaquam conſtanter nec eaedem ſunt, ſed celeriter mutantur. Nec imaginatio ipſa fortior iuſto eſt, quin debilior eſſe poteſt; ſenſuum tamen hebetudo prorſus demit conſcientiam, quod ex comparatione ſenſuum ſuperiorum, obiectivorum Kantii, conſcientia naſcitur. (*phyſ.* §. 379. 402.) Hinc ſenſuum ſuorum compotes non eſſe (*nicht bey Sinnen, nicht bey ſich ſeyn*) Germanis dicuntur. His quidem inſanis imputari crimina commiſſa nequeunt, quod ſenſuum iudicia vel fallacia vel adeo nulla ſunt, ut comparatio nequeat inſtitui ad conſcientiam ſtabiliendam.

148.

Memorabile eſt, *lucida* incidere *intervalla*, in quibus ſui compos eſt homo. Quae ſi breviora ſunt, ſaepius interpoſitis veſaniae acceſſibus, conſideratione haud ſatis digna ſunt, cum plena conſcientia rectusque rationis uſus non ſemper redeant. Si longiora ſunt intervalla, acceſſus autem breviſſimi; in iis, cum ratio prorſus redeat, delictorum imputatio omnino contingit.

Sed memoratu vel maxime dignum eſt, inſanum, protinus ut in acceſſibus atrox facinus commiſit, ſaepe ſtatim ad ſe redire, quoniam hebe-

tudo ſenſuum vehementia impulſuum ſuscitatur. Itaque, ſi poſtea ſanae mentis ſunt, haud ſequitur, dum facinus perpetrarent, ſui compotes fuiſſe. Unde et hi veniam amentiae merito implorare poſſunt. (*Hofbauers Pſychol. in Anwendung auf Rechtspflege*, p. 145.)

149.

Qui edormiverunt aut ſubito expergiſcuntur, haud ſubito recuperant conſcientiam; ſed, praeſertim ſi antea ſomniis turbarentur, vecordia transeunte laborant, e ſenſuum hebetudine explicanda. (*phyſ.* §. 385.) Itaque, ſi crimen commiſerint in eo medio ſtatu, perinde eſt ac ſi vecordes fuerint. Cuius rei exemplum clariſſimum in annalibus iudiciariis patriae narratur. (*Klein's Annalen* vol. 8. p. 9. ſ.)

105.

Huc quoque ſomnambuli pertinent, in quibus cum ſenſuum ſuperiorum ſuppreſſio vel hebetudo contingat, ut nec pupilla contrahatur (*phyſ.* §. 591. 592.); ſenſus organicus vicem ſuperiorum gerit. Unde alium plane hominem eſſe noctivagum, alium vigilem recte praecipitur. Itaque crimen haud imputandum eſt, quod forte commiſe-

rint. Sed culpa peccaſſe patet, cum cognoſcere aegritudinem ſuam et admonere alios, dum vigiles eſſent, omnino poſſent. (*Böhmer ad carol.* art. 179. §. 7.)

Quae aegritudo ſi praetenditur, medici eſt, inquirere in ſigna eius eſſentialia. Maxime vero ſenſuum perfecta ſuppreſſio aut hebetudo examinanda, quae variis incitamentis (§. 131. 132.) neutiquam efficacibus atque pupillae immobilitate proditur.

Huc et trahenda eſſe arbitror magnetiſmi animalis phaenomena, quae alibi (*phyſ.* §. 395. ſ.) expoſui. Medicus publicus, de hoc ſtatu iudicium laturus liber ſit ab omnibus et ſcholae et aetatis opinationibus, ut mendacia a veritate diſtinguat. Magna phaenomenorum pars vanitati tribuenda eſt muliebri: magna etiam vanitati medicorum. Nec tamen omnia ſpernenda ſunt aut pro fraudibus habenda: ſed ducibus doctrina et animi libertate obſervanda. Quae vera ſunt, optime comparantur cum noctambuliſmo: unde et vigili perſonae haud imputandum eſt, quidquid ſomnambula deliquerit. Laudavimus iam ſupra (§. 59.) facultatis medicae Lipſienſis iudicium de femina in eo ſtatu partum elidente.

151.

Alia eſt inſaniae ſpecies, imaginationi nimis intentae tribuenda. Qui hac laborant, ſenſuum utique compotes ſunt: memoria valent: fixas tamen habent ideas, quae vel moeſtos eos reddunt vel mirifice delectant. Haud repentino motu agunt, ſed praeparati ac meditati: neque finis attingendi ſtudium, neque ſollertia remediorum inveniendorum, neque prudentia quaedam omnino deſideratur. Eſt eorum animorum tanta perturbatio, ut perpetuo angantur, neque tamen adſequi poſſint, quid ſit, quod ſe iugiter ſollicitet angatque. Violentam appetunt actionem; ſcelus ipſum perpetrare ſtudent et ſaepe perpetrant, tanquam ſuae anxietatis remedium. Id ſibi imperatum fuiſſe fatentur.

His accenſendi ſunt fanatici, quos antiqui Romani religioſos vocitarunt. (*Gell. noct. att.* 4, 9.) Qui, ut ſalvos faciant alios, eos interficiunt; aut alios interimunt, ut ad ſupplicium trahantur ipſi: quia vitae eos taedet aut beatitudinem anxii deſiderant.

Veniam amentiae impetrare tales homines nihil eſt quod vetet. Et ipſae patriae leges haud capite ſed carcere eos damnant. (*Allg. pr. Geſetzb.* tit. 20. §. 831. 832.) Quodſi vero nihil adeſt,

quod libertatem animi laeſam probet, delicti poena ordinaria irroganda eſt. (*Klein's Ann.* 7. p. 7.)

152.

Nec negligenda eſt exanimatio illa, quam communem diximus animi perturbationum vehementiorum ſeu iactationum incitatarum adfectum. (*path. gen.* §. 163.) In eo ſtupore animi agitur ſaepe, cuius dein poenitet hominem. Quod cum abhorreat a libertate animi et plena conſcientia, imputandum homini haud eſt. Si quis adgreſſorem graviter laeſerit aut etiam confoderit, ſi ultus fuerit ilico iniuriam acceptam, a poena ordinaria liberatur ob perturbationem mentis libertati infeſtam.

Sic et fames mortem minitans excuſat delicta, validiſſimo ſervandae vitae appetitui tribuenda. Quis non meminerit atrociſſimorum facinorum, quae in lamentabili illa ἀναβάσει Gallorum e Ruſſia perpetrata fuerunt?

Solet tamen et inſtinctus coecus in hypochondriacis ſibi quandoque rationem hactenus ſubdere, ut ſcelera committantur, quae imputari nequeunt. (*Hofbauers Pſychol. in Anwend. auf Rechtspſl.* p. 350.)

153.

Transimus ad *furorem* eiusque vehementissimum gradum, rabiem. Eum dicimus (*path. spec.* §. 555.) instinctum adeo perversum, ut impulsus et propensiones nullo modo a ratione regantur nec regi possint.

Est autem difficillima profecto quaestio, quae de hac animi aberratione saepe proponitur. Etenim, cum is furor tum intellectus infirmitate tum adfectuum ferocia nitatur, propinqua certe est cognatio iracundiae et furoris iracundi. Neque, nisi ad eam ipsam rationis imbecillitatem respexeris aut ad animi valetudinem adversam, ex aliis signis manifestam, vel denique ad corporis etiam aegritudinem, neutiquam amentiae veniam pro reo exposcere audebis. Occisor ille Frisius (*Klein's Ann.* vol. 13. p. 89.) tum praecipue ira excandescere solebat, cum tempestas turbida instaret: perpetua idem inquietudine agitabatur: quae laesam notabat sanitatem. Itaque, etiamsi consulto facinus patraverat, malitia tamen atque ipse dolus alienus ab eo putabatur. (*Klein's Ann.* vol. 12. p. 187.)

154.

Tandem de surdis, qui simul muti sunt, quaestio iudiciaria nascitur, sintne rationis suae rite

compotes. Et id quidem, niſi erudiantur, fere negandum eſſe exiſtimamus. Etenim ſine loquela et auditu, quanquam acutiſſimi alii ſint ſenſus, informationes tamen generales de honeſto, bono et recto difficillime naſcuntur. Nexus idearum rarus eſt, impeditus aut nullus: iudicium fallitur aut labaſcit. Hinc adfectus et animi perturbationes vehementiores ſunt, quam ut ratio imbecillis moderari ac gubernare eas poſſit. Accedit, leges ignorari in eo ſtatu, unde triplici potiſſimum modo veniam delictorum impetrant. (*Beytr. zur iuriſt. Litter. in den pr. Staaten, Samml. 5. p. n. 53.*)

Sphalmata.

P. 95. l. 12. *ſiniſtrum* l. dextrum
— 100. l. 4. inf. *probatas* l. probatae
— 109. l. 11. *eſſet* l. eſſe
— 110. l. 5. inf. *coaleſcant* l. coeleſcant.
